

# Forgotten Books

— [www.forgottenbooks.com](http://www.forgottenbooks.com) —

Copyright © 2016 FB &c Ltd.

All rights reserved. No part of this publication may be reproduced, distributed, or transmitted in any form or by any means, including photocopying, recording, or other electronic or mechanical methods, without the prior written permission of the publisher, except in the case of brief quotations embodied in critical reviews and certain other noncommercial uses permitted by copyright law.

*Moeris, Atticista*

**MOERIDIS ATTICISTAE  
LEXICON ATTICUM**

CUM

**JO. HUDSONI, STEPH. BERGLERI, CLAUD.  
SALLIERI, SCHLAEGERI**

ALIORUMQUE NOTIS.

**SECUNDUM ORDINEM MSSORUM RESTITUIT,  
EMENDAVIT ANIMADVERSIONIBUSQUE  
ILLUSTRAVIT**

**JOANNES PIERSONUS.**

ACCEDIT

***AELII HERODIANI PHILETAERUS***

**E MS. NUNC PRIMUM EDITUS ITEM EIUSDEM  
FRAGMENTUM E MSS. EMENDATIUS  
ATQUE AUCTIUS.**



**CUM ANNOTATIONIBUS SUIS ET PLERISQUE JO. FRID. FISCHERI  
DENUO EDIDIT**

**GEORG AENOTHEUS KOCH,**


PHILOS. D. REG. SEMIN. PHILOL. LIPS. SOD. HONOR.

---

**LIPSIAE,**

**SUMPTIBUS GUIL. LAUFFERI.**

**MDCCCXXX.**



**VIRO ILLUSTR**  
**EXCELLENTISSIMO DOCTISSIMO**  
**CAROLO GOTTHELF**  
**HILBERTO**

**S. M. REG. SAXON. A CONS. COMM.**

**DOMINO SCHEIBAE ETC. ETC.**


**PATRONO ET FAUTORI SUMMA**  
**PIETATE COLENDO**  
**AFFINITATE SIBI CONIUNCTISSIMO**

**HANC NOVAM MOERIDIS HERODIANIQUE EDITIONEM**

**GRATI ANIMI TESTIFICANDI CAUSSA**

**D. D. D.**

**GEORG AENOTHEUS KOCH.**



**ILLUSTRISSIMIS  
GENEROSISSIMISQUE**

**VIRIS,**

**HESSELO DOMINICO ERNESTO  
AB AYLVA,**

**SIUCKIO GERROLDO JUCKEMA  
A BURMANIA RENGERS,**

**LIVIO SUFFRIDO LYKLAMA  
A NYEHOLT,**

**TIALLINGO EDONI HESSELO  
ROORDA A SIXMA,**

**SUMMIS IN REPUBLICA  
MUNERIBUS ET HONORIBUS  
CONSPICUIS,  
ACADEMIAE FRISIAE,  
QUAE FRANEQUERAE EST,  
CURANDAE  
QUATUOR VIRIS,**

**Hoc opusculum venerabundus**

**D. D. D.**

**JOANNES PIERSON.**

*Greek*  
*P. Koehler*  
8-8-32  
25823

---

## P R A E F A T I O.

---

**M**OERIDIS ATTICISTAE libellus, postquam diu in Bibliothecarum scriniis latuerat nec tamen principum virorum notitiam effugerat, tandem multorum votis expetitus in lucem prodit, anno huius seculi duodecimo, Oxoniae, opera et studio Joannis Hudsoni. Quanquam enim haec editio Hudsoni nomen non praefert, eius tamen cura adornatam esse inter eruditos constat. Vid. Hallii praefat. Josepho praefixam, et Fabricii B. G. Vol. IX. p. 420.

Triennio fere post magnam Moeridis partem una cum aliorum Grammaticorum excerptis ex optimo Codice Coisliliano protulit Vir egregius et multis magnisque in rem litterariam meritis illustris, Bern. Montefalconius (Bibl. Coisl. p. 485—488.), qui totum quoque Moeridem manu sua descripserat, emendaverat notisque eruditis illustraverat; quod e Schlaegeri ad Stoeberum litteris, quarum exemplar penes me est, intellexi.

Superiori seculo, qui manu exaratos Moeridis Codices evolverint aut eorum apographa sibi compararint, praecipui fuerunt Salmasius, Pricaeus, Bullialdus, Maussacus, Valesius, Usserius, Vossii, Spanhemius, Menagius, Du Cangius, Colomesius, Le Moypius, Kusterus, alii.

Primus autem, quod sciam, de Moeride una cum Thoma Magistro aliisque eiusdem generis scriptis in lucem emittendo cogitavit Martinus Brunnerus, Linguae Graecae primum, mox Theologiae in Academia Upsaliensi Professor, vir doctus, qui eum N. Heinsii beneficio acceperat: ad quem etiam plurimas de Grammatico nostro litteras scripsit, quas tamen proferre Cl. Burmannus vix operae pretium duxit (vid. Syllog.



Epistol. Burmann. T. V. p. 177.). Verum multis districtus negotiis et a dirissimo eruditorum hoste calculo vexatus promissa solvere non potuit, anno elapsi seculi septuagesimo et nono tristi fato defunctus. Vid. Syllog. Burmann. T. III. p. 691. T. V. p. 89. 177. 501. 517. 668. Quo autem eius in Moerin animadversiones pervenerint, aut ubi terrarum lateant, plane ignoramus.

Brunnero mortuo Joannes Columbus in epistola ad N. Heinsium, Syllog. T. V. p. 177. 187. se permittente Heinsio libenter Moerin editurum professus est; sperare autem, Brunneri haeredes sibi eius annotata non invisuros. Verum et ille Ajax in spongiam incubuit.

Ludolphus quoque Kusterus, Vir insignis, Moeridis editionis a se adornandae spem videtur fecisse. Vid. Fabricii B. G. Vol. IV. p. 419.

Post Hudsonum autem et Montefalconium eodem fere tempore de Grammatico nostro iterum typis committendo consilium ceperunt Carol. Andr. Dukerus et Claud. Sallierius, uterque eruditionis fama et scriptis celebratissimus. Dukerum de Ammonio, Phrynicho, Thoma Magistro, Erotiano et Moeride iunctim edendis cogitasse, e Novis Litter. Lips. Anni MDCCXXVII. p. 179. monuit Schlaegerus in Conspectu et Lexiphilus Obs. Misc. Vol. V. T. III. p. 31. Moschopulum pro Moeride nominat ipse Cl. Dukerus in litteris ad Valckenaerium praefationis Ammonio praemissae p. 3. Verum, quicquid huius rei sit, postea vir doctissimus consilium illud plane abiecit.

Sallierii Commentarius multos ante annos scriptus rara felicitate in manus nostras pervenit.

Anno deinde quarto et tricesimo Conspectum editionis Moeridis Atticistae Hamburgi in lucem edidit Julius Carolus Schlaegerus. Conspectum illum huic Praefationi subiunximus, paucasque notas Moeridi suis locis adiecimus. Reliquae Schlaegeri animadversiones perierunt. Qua de re lubet hominis eruditissimi verba, e litteris ad Cl. Stoeberum d. XXVI. Aprilis MDCCLL scriptis, apponere: „Atque haec quidem „sunt omnia, quae in Lexicographum olim meum, nunc vero „tuum, a me proficisci possunt officia, quorum fortassis plura

„possem praestare, si scirem, ubinam gentium lateant meae  
 „in Moeridem animadversiones ad litteram M usque perdu-  
 „ctae. Idem illae expertae sunt fatum, quod fuit observa-  
 „tionibus τοῦ πάνυ Montefalconii, qui vir doctissimus pariter  
 „atque longe humanissimus non solum Moeridem integrum ex  
 „Codice Coisliniano propria manu descripserat, sed emenda-  
 „verat quoque et illustraverat notis eruditis. Verum, uti hic  
 „thesaurus in itinere, magno litteraturae Graecae damno, pe-  
 „riit, ita et meae quisquiliae, dum reculas meas Helmaesta-  
 „dio Gotham transfero, una cum aliis quibusdam raris caris-  
 „que libellis disparuerunt. Prius nullo modo resarciendum  
 „damnum in caussa fuit, cur iamdudum abiecerim Moeridis  
 „edendi consilium.“

Aliquot annis post Moeridi manum admovit eruditus quidam Juvenis Anglus, Lugduni Batavorum studiorum caussa commoratus; qui, cum multa ad Grammaticum nostrum collegisset et MSStorum Codicum variantes lectiones sibi comparasset, in Italiam profectus Musas ac Moeridem valere iussit.

Per idem fere tempus Ernestus Gulielmus Higtius nostras, flosculus ille poëtarum Belgicorum et nunc cum maxime Scholae Alcmariensis Rector sollertissimus, quocum, inde a condiscipulatu in Academia Franequerana, integerrima mihi intercedit amicitia, Grammaticum nostrum cura sua dignum iudicavit. Verum poëticiis suavitatibus assuefactus taedium Grammaticum devorare non potuit et Moeride seposito evolvendis aliis utriusque linguae scriptoribus totum se tradidit, elegantissimis carminibus et patrio, et Latino sermone scriptis, omnibus, quotquot Musas amant, commendatissimus.

Anno denique primo et quinquagesimo Elias Stoeberus, Collegii Argentoratensis Rector, strenuam Moeridi aliisque Atticismi magistris navavit operam, emisso novae horum Grammaticorum editionis specimine. Sed, cum typographi, nescio quo casu, inchoatum opus destituissent, suas aliorumque in Thomam Magistrum animadversiones una cum copiis, quibus instructus ad Moeridem illustrandum fuisset accessurus, Amstelaedamum misit Vir eruditissimus ad Joannem Stephanum Bernard, Med. Doctorem expertissimum: qui

**Thomam Magistrum novis Hemsterhusii, Oudendorpii aliorumque accessionibus auctum mox typis imprimendum curavit.**

Accidit, ut eodem fere tempore ante hos septem annos, cum aliorum hominum doctrinae ac sapientiae fama praestantium, tum praecipue magni illius Hemsterhusii, cuius absens summus admirator fueram, audiendi causa, ad sacratissimam Musarum sedem et totius Belgii ocellum, Leidam me conferrem. Ubi cum Joannes Daniel Lennepius, quo Franequerae usus fueram amico optimo, et Davides Ruhnkenius eodem tempore degerent, meque in amicitiam suam et familiarem consuetudinem, qua nunquam suaviolem expertus sum, recepissent; hi primi mihi auctores Moeridis emaculandi illustrandique extiterunt: Bernardum aliis rebus et imprimis arte Clinica exercenda occupatissimum MSSorum collationes aliaque libenter in usus meos concessurum. Accessit Hemsterhusii, Albertii aliorumque auctoritas, a quibus dissentire piaculum esse existimavi. Itaque alacri animo litteris ad Bernardum datis ab ipso, quae possideret ad Moeridem pertinentia, audacter petii statimque, quae singularis Viri humanitas fuit, impetravi.

Haec praemittenda videbantur, antequam de MSSorum auxiliis aliorumque virorum doctorum laboribus, quibus adiutus ad Moeridem instaurandum me contuli, de mea denique ratione aliquid dicerem.

A Bernardo igitur Hudsonianam Moeridis editionem accepi, quam cum Codicibus Coisliniano et Regio contulerat Cl. Stoeberus.

Huic adiunctae erant Diversae Lectiones Schlaegeri manu exaratae, de quibus ita Vir Cl. in litteris ad Stoeberum: „Desideras a me Celeb. Sallierii cura expolitur Atticistae exemplum, quod quidem iam dudum in Galliam remigravit: „sed uti eius margini allitas atque ex Codicibus Parisinis per „titas variantes lectiones manu mea descripsi, ita hocce apographum mitto tuique iuris esse iubeo. Animadvertes inter „illas complures ad sanandum Moeridem nostrum adprime „facientes.“

Praeterea huic fasciculo inerat Schlaegeri Conspectus edi-

tionis Moeridis Atticistae, cuius supra mentionem fecimus, quemque alibi fortassis frustra quaesivissemus.

Denique Schlaegeri ad Stoeberum Epistola MS. saepius memorata, et Viri Graece Latineque doctissimi, J. M. Gesneri litterae omni suavitate conditae, ad Schlaegerum scriptae Gottingae, a. d. XXIV. Martii MDCCXXXV. e quibus pauculas in Moerin coniecturas et emendationes protulimus.

His omnibus, veluti cumulus, accesserunt eruditae Claudii Sallierii in Grammaticum nostrum animadversiones, quas, postquam nimis diu in situ et squallore abiectae fuerant, tandem Stoebero in lucem emittendas tradidit Vir eruditissimus.

Postea idem Bernardus Anonymi Angli Varias Lectiones in Moeride Atticista ex Collatione Codicis MS. observatas (sic) ad me misit, a Stoebero acceptas: de quibus ita Vir Clar. in litteris ad me datis: „Accepi ante aliquot dies litteras a Cl. Stoebero nostro, in quibus non solum testatur, „quantopere laetetur, quod Tu Moeridi manus admovebis, „verum etiam rogat, ut variantes Lectiones, quas hic simul „accipis, cum plurima observantiae benevolentiaeque testificatione Tibi reddam. Misit has ad Virum Clar. Jo. Wardius, Collegii Greshamensis Professor, quae licet paucae sint „ac auctorem Collationis et Codicem MS., unde depromptae „sunt, indicare neglexerit Celeb. Anglus, minime tamen ea „propter *νοθείας* postulandae videntur Doct. Stoebero.“ Hanc Collationem Wardianam appellare soleo.

Haec Stoeberi et Bernardi beneficio accepta refero. Cl. quoque Stoeberus aliud Moeridis exemplar se missurum pollicitus fuerat observationibus suis ditatum (utor Bernardi verbis), tum etiam viri cuiusdam docti notas haudquaquam spernendas. Sed neutrae ad manus meas pervenerunt.

Vix dum meum de Moeride emaculando consilium Viro Litteratissimo Jo. Albertio, quo nihil dari potest suavius, nihil candidius, innotuerat, cum ne rogatus quidem et Codicis Vossiani, qui Leidae servatur, Collationem accuratissime a se institutam mihi obtulit, et Verborum Ordinem, prouti in MS. Cod. erat, manu sua descriptum.

Pari humanitate Abrahamus Gronovius, Vir doctissimus, varias Lectiones e Cod. MS. ad editionem Hudsonianam a Parente J. Gronovio adscriptas sponte mihi utendas concessit.

Ordinem verborum Moeridis, qui in Codice Coisliniano, nunc Sangermanensi, reperitur, postea in meam gratiam accurate descripsit Politissimus Ruhnkenius.

Tandem elegantissimi Vir ingenii et erga amicos officiosissimus, Petrus Burmannus Secundus Moeridis exemplar ad me deferendum curavit, in cuius margine non pauca annotaverat doctus ille Stephanus Berglerus, pleraque bonae frugis et digna ipsius eruditione; quae notis inseruimus.

Video, me plurimis humanitate et doctrina praestantibus viris, multis magnisque nominibus esse obstrictum: quibus, et universis, et singulis, gratias, quas possum, habeo agoque maximas. Nec futurum opinor, ut ipsos horum officiorum poeniteat, cum oblatis me bonis non socorditer usum fuisse perspexerint.

Nunc de ipsis Codicibus paullo accuratius dicendum est.

Ceteris, quorum Collationes nobis ad manum fuerunt, longe multumque praeferendus est Coislinianus in membrana scriptus seculo X. iudice harum rerum peritissimo Montefalconio Bibl. Coisl. P. II. Codex CCCXLV. continens varia Lexica, ut Apollonii, Timaei, Moeridis aliaque, e quibus specimina exstant in Bibl. Coisl. p. 457. et sequentibus. Coislinianum saepius inspexisse Sallierium et ipsius notae ostendunt, et ipse Cl. Ruhnkenio coram affirmavit. Quocum etsi in plurimis plane consentit Collatio Schlaegeriana, discrepat tamen in paucis. Postea Stoeberus eundem Codicem excussit et plerasque lectionum varietates Moeridis sui margini allevit. Quae Collatio etsi in nonnullis a Sallierii et Schlaegeri Collationibus diversa videatur, praecipue ubi glossae quaedam omissae vel insertae sunt, id tamen non Virorum eruditorum negligentiae, sed inverso potius verborum ordini, quo Codices conferendi laborem difficillimum reddiderat Hudsonus, tribuendum existimamus. In Montefalconii Bibliotheca Coisl. multa vitiosissime expressa sunt. Illud iure affirmarim, hunc Codicem longe esse praestantissimum, ut qui ubique fere ipsam Moeridis manum exhibuerit, multas voces rariores et

plane glossematicas cōservavit, in aliis neglectas. Accedit, quod nullis, quantum deprehendere licuit, aliorum sordibus, quas homo inepte sedulus in illum Codicem, unde Regius, Vindobonensis et alii fluxere, intulit, vel leviter sit inquinatus. Qua de re postea.

Coisliniano proximus bonitate est, longo sed proximus intervallo, Regius, quem adhibuit Stoeberus, cuius numerum cum annotare neglexisset Vir doctus, diu dubius haesi, pluresne in Bibliotheca Regia essent Moeridis Codices MSSti, an vero is solus, quo Salmasius, Menagius, Du Cangius alii-que etiam usi sunt: tandem Ruhnkenius V. C. tum Parisiis agens a me consultus respondit, unum tantum in illa Bibliothecarum regina esse Moeridis Codicem eumque valde recentem; eundem, ni fallor, quem olim Francisco I. Gallorum regi obtulit Antonius Eparchus. Vid. Fabric. B. G. T. X. p. 477. In Catalogo Bibliothecae Regiae T. II. recensetur inter Codices Graecos n. 1630. bombycinus. Continentur eo CXLIV. diversi generis opuscula, inter quae Moeris est CXLIII. *Moeridis Atticistae Lexicon*. sic. Seculo XIV. scriptus Codex, ut videtur. Ita fere in Catalogo est. E bono tamen Codice derivatus sit oportet; multas enim pulcherrimas lectiones inde Moeridi restituimus.

Cum Regio adeo convenit Collatio Gronoviana, ut ad eundem librum vel valde similem facta videatur. Pauca tamen in illa reperias, quae a Stoebero e Regio enotata non sunt: in quibus plane cum Coisliniano conspirat.

Harbini Apographo, quod e Pricaei schedis descriptum erat, usus est Hudsonus. Pricaeus autem Moerin e Codice Vindobonensi manu sua descripserat. Vid. Fabricius B. G. Vol. IV. p. 519. et IX. p. 420. et Usserius in Ignatii epist. ad Antioch. p. 104.

Ex eodem Pricaei Codice habuisse videtur Vir Illustris Is. Vossius, cuius liber nunc in Bibliotheca Leidensi asservatur. N. 56. in Quarto. Catal. Bibl. Leid. p. 398. Eumoeiridae Atticistae vocabula Atticorum et Graecorum iuxta Alphabetum. Scripta manu Is. Vossii, vulgo Moeridis. in charta. sic.

Qui libri cum omnium essent depravatissimi, ad Coisliniani certe et Regii praestantiam nullo modo comparandi, tanti non videbatur, ut Vindobonensis MSti variantes peterem lectiones, quas tamen, si petissem, facile a Viro Nobilissimo Swietenio, Caesarsae Bibliothecae Praefecto dignissimo, me impetraturum fuisse confido.

Moerin MS. in multis Bibliothecis Gallicis et Anglicis exstare scribit Salmasius de Ling. Hellen. p. 46. Qui libri an ab iis, quos iam memoravimus, diversi sint, definire non audemus.

Codicem quoque suum laudat Stephanus Le Moynius Var. Sacr. p. 479. Sed Regii apographum fuisse opinor.

Vaticanus Codex memoratur a Ph. Jac. Maussaco Diss. Crit. in Harpocrat. p. 364. (393. novae ed.) „Moeridis Atticista laudatur a Photio, quem librum dicunt exstare in „Vaticana summi Pontificis Bibliotheca.“

Praeterea Moeris MS. commemoratur in Catalogo Bibliothecae D. Marci Venetiis. Inter Grammaticos Codex 486. chartaceus. Fol. 344. Seculi circiter XV. Reperiuntur in illo Cod. M. Moschopuli Collectio vocum Atticarum ex imaginibus Philostrati, Thomas Magister, Eumoeridis libellus de vocibus Atticis (sic), Phrynichus, Man. Moschopulus aliique plures. De cuius aetate admodum recenti cum constet, dignus non videbatur, cuius varias lectiones mihi sumtu et molestia compararem.

Venio nunc ad Moeridem, de cuius nomine primo paucis disputandum est. Moeris appellatur a Photio in Bibliotheca. Similiter in Codd. Coisliniano et Regio. In MSS. autem Vindobonensi, unde Pricaeanus ac Vossianus defluxere, et Venetó Eumoerides nominatur, *Εὐμοιρίδου*; atque ita eum appellant Colomesius Obs. Sacr. p. 186. et Spanhemius in notis ad Aristophanem et de U. et P. Numismatum. Moenis scriptum est apud Labbeum Bibl. Nov. Manuscr. p. 105. Maeris apud Le Moynium Var. Sacr. T. II. p. 479. utrumque typorum errore, quod monuit Cl. Schlaegerus in Conspectu. Recte Hudsonus *Μοίριδος* edidit. Schlaegeri enim coniecturam in ipsius specimine legi malim, quam hic opere a me refutari; praecipue, quum ipse Vir eruditus eam

diu repudiaverit: quod ex ipsius epistola ad Støeberum apparet. „Quod ad coniecturas Conspectui adiectas attinet, „eas non plane improbandas esse etiam nunc habeo persuasum: excepta tamen prima, cui ut nuncium mitterem, auctor imprimis mihi fuit Moeris apud Xenophontem Ephesium „obvius, L. II. p. 35.“ Recte. Audiamus praeterea Gesnerum in litteris ad Schlaegerum: „Moeris Virgilianum a „moerore derivare nolim, tum, quod analogia videtur repugnare, tum, quod nomina in Eclogis Graeca, quantum recordor, sunt omnia, Tityrus, Meliboeus, Alcon, Daphnis, „Alexis, Corydon. Deinde vide, quaeso, mihi enim requirere non vacat, an non Moeris dictus fuerit, — Quin recordor, Moeris ille est Chalcedonensis Episcopus, qui Juliano caecitatem exprobranti maledixit.“ Episcopus ille Chalcedonensis Maris dictus est, non Moeris. V. Socratem H. E. Sed dubitandum non est, quin *Μοίριδος* nomen bene Graecum sit et multis olim cum Grammatico nostro commune. Praeter memoratos certe duo Moerides a nobis observati sunt. Alter apud Scholiastam Apollonii Rhodii ad lib. II. v. 789. qui Mygdonas ab Hercule debellatos fuisse tradidit. Alter in Stratonis Epigrammate nondum edito, cuius primum distichon protulit Cel. Valckenaerius ad Ammon. Animadv. lib. III. cap. 15. p. 218.

*Ἐσπερίην Μοῖρις με, καθ' ἣν ὑγιαίνομεν ὄρην,  
Οὐκ οἶδ' εἴτε σαφῶς, εἴτ' ὄναρ ἤσπάσατο.*

*Ἦδη γὰρ τὰ μετὰ ἄλλα μάλ' ἀτρεκέως ἐνόησα,  
Χαῖκόσα μοι προσέφη, χαῖκόσ' ἐπυνθάνετο.*

*Εἰ δέ με καὶ πεφίληκε, τεκμαίρομαι· εἰ γὰρ ἀληθὲς,  
Πῶς ἀποθειωθεὶς πλάζομ' ἐπιχθόνιος;*

Et in alio itidem inedito:

*Παῖδα μὲν ἠλιτόμηνον ἐς ἄφρονα καιρὸν ἀμαρτεῖν,*

*Τῷ πείθοντι φέρει πλεῖον ὕβρισμα φίλα,*

*Ἦδη δ' ἐν νεότητι παρήλικα παιδικὰ πάσχειν*

*Τῷ παρέχοντι πάλιν τοῦτο δις αἰσχροτέρων.*

*Ἔστι δ' ὅτ' ἀμφοτέροις τὸ μὲν οὐκέτι, Μοῖρι, τὸδ' οὐπω  
Ἀπρηπὲς, οἶον ἐγὼ καὶ σὺ τὸ νῦν ἔχομεν,*

A Moeride autem terminatione tantum differunt Moereas, Moerichus, et Moerus apud Hygin. Fab. CCLVII. Depravata



*Εὐμοιρίδου* scriptura unde orta sit, incertum est nec lubet inquirere.

Quis vero fuerit Moeris, quando aut ubi vixerit, nos latere ingenue fatemur. Praeter Photium enim a veterum Grammaticorum laudatur nemine. Post Phrynichi tempora eum floruisse, persuasum habuit Hudsonus, quod is a Moeride citaretur in *Ἰσοτελής*. Verum is locus, ut multi alii, Moeridi invito ab homine stulte liberali obtrusus est exulatque ab optimis membranis Coislinianis. Mihi, si non antiquior, certe non multo posterior Phrynicho videtur. Multa enim hic occurrunt adeo similia Aelii Dionysii, qui sub Adriano floruisse dicitur, *Λέξεων Ἀττικαῖς*, quas laudat Eustathius, ut vel eadem aetate vixisse uterque videantur et ex eadem schola prodiisse, vel alteruter alterius scrinia expilasse; quorum posterius cum nullis certis indiciis probari possit, cur non prius potius statuamus? Ipsum scribendi genus et brevitatis satis docet, Moerin recentem non esse. Nulli ab ipso auctores citantur praeter veteres illos, Thucydidem, Platonem, Xenophontem, Aristophanem ceterosque Comicos, et oratores Atticos. Certius fortasse illius aetatem possemus definire, si de quorundam recentioris Graecismi vocabulorum, qualia sunt *γρόνθος*, *ἐνώτια*, *στρέμφυλα* etc. aetate constaret. Conf. in *Βαλβίδες*, ubi *νῦν ἔτι*. Verum nolim incertis coniecturis indulgere.

Libelli index quoque quis fuerit, non adeo certum est. *Μοίριδος Ἀττικιστοῦ* simpliciter est in Codice Coisliniano. Vide Bibl. Coisl. p. 485. *Μοίριδος Ἀττικιστῆς* appellatur Photio Cod. 155. p. 171. *Ἀνεγνώσθη δὲ ἐν τῷ αὐτῷ* (in eodem Codice, quo continebatur Timaei Lexicon, Aelii Dionysii *Ἀττικὰ ὀνόματα*, Pausaniae Lexicon, Boëthi Lexicon Platonicum etc.) *καὶ Δωροθέου περὶ τῶν ξένως εἰρημένων Λέξεων* — *ἔτι δὲ καὶ Μοίριδος Ἀττικιστῆς· κατὰ στοιχεῖον δὲ καὶ τοῦτο τὸ πονημάτιον*. Similiter Moeridis Atticistam vocat Maussacus Diss. Crit. in Harpocrat. l. o. Qui titulus, si MSSti addicerent, non displiceret. Ita Irenaei *Ἀττικιστῆς κατὰ στοιχεῖον* Etymologo et Suidae memoratur. V. Kust. ad Suid. T. II. p. 29. Phrynichi *Ἀττικιστῆς* apud Suidam v. aliique. Salmasius ad Tertulliani Pall. p. 411. Moerin Atticistam citat *περὶ Ἑλληνικῶν καὶ Ἀττικῶν Λέξεων*. Sic et Plin.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**SAVE \$3,999,994**

Did you know we sell  
paperback books too?

To buy our entire catalog  
in paperback would cost  
over \$4,000,000

Access it all now for  
\$8.99/month

\*Fair usage policy applies

**Continue**

huc relata sunt: *Ἀμέλει* et *Γραματοκύφωνα*. E Scholiasta Luciani admodum recenti vel ex alio quopiam Grammatico, cuius scrinia is expilavit, profecta sunt *Ἐφεστρίς κ. τ. λ.* et quae in *Ἰσπληξ* fuerant addita.

In *Ἐπηλυγαζόμενος* et *Ποτνιώμενος* quaedam e Suida aut Photio adiecta sunt. Ex iisdem denique Lexicographis, aut Hesychio aliisque ineditis, profluxerunt: *Ἀγαπήνορος*. *Ἀφηνιαστής*. *Ἰερεῖον*, πᾶν τὸ θ. *Ἰδέ*. *Πότνα*. *Πότνια*. *Ποτνιαῖται*. *Ποτόμεναι*. *Πορφύρει*. *Πόσις*. *Πότερον*. *Πολλοῦ γε καὶ δεῖ*. *Σφίσιν*. *Σφῶν*. *Σκντάλη*.

Quae omnia cum antiquissimus Coislinianus ignoret, pro spuris habenda esse nemo dubitet. Itaque quodam νοθείας signo, asterisco, distinxi; quamvis, si mei fuisset res arbitrii, una litura delere maluissem.

Solus Coislinianus non sensit manum interpolatricem. In *Ζηλω* adscriptum in margine fuerat καὶ παραζηλω: ad *Φοιτητήν*, ἢ τὸν παραγινόμενον, et ibidem *Φοιτᾶ*, *Ἀττικῶς*. *παραγίνεσται*, *Ἑλληνικῶς*. Plura insititia in Coisliniano non putem reperiri. Nam Moerin e Thoma Magistro a recentioribus Grammaticis quibusdam in locis locupletatum esse, quod in mentem venit J. F. Fischero, qui nuper Moerin Lipsiae recoxit, plane a vero abhorret. Thomas quippe seculo quarto et decimo vixisse creditur; at Coislinianus Codex seculo X. iam exaratus, ut supra monuimus.

Quis vero primus hoc flagitium commiserit, ac Codici suo, e quo Regius, Vindobonensis alique descripti sunt, has glossas inseruerit; et an liber ille reperiatur, cuius margini primum fuerint allitae, hactenus indagare non potuimus.

Scrpsit Moeris secundum litterarum seriem, non tamen accuratam. Dictiones ab A, B etc. incipientes posuisse contentus sequentium litterarum nullam habuit rationem. Hudsonus, ut lectores quaerendi labore levaret, secundum accuratum litterarum ordinem voces disposuit. Quo factum est, ut nonnulla omnino coniungenda perperam divulgaret ac Codices conferendi laborem reddiderit impeditum. Similem Blancardi in Harpocrate disponendo diligentiam iure reprehendit J. Gronovius. Nam ista ratio quamvis in vocibus reperiendis aliquid habeat commodi, plura tamen et maiora

affert incommoda, quae singula commemorare supersedeo. In veterum scriptis modeste nos versari decet: quaerendi autem labore lectores Indicis ope, qualem nos dedimus, facile levantur. Itaque verborum ordinem, qualem in Codice Coisliniano reperit Cl. Ruhnkenius, restituimus. Idem erat in Vossiano, e quo glossas istas insititias suis singulas locis addidimus.

Atque ita eo sponte devenio, ut, quam rationem in Moeride exornando secutus sim, declarem.

Revocata igitur Moeridi propria dictionum serie primo praecipuam operam in eo collocavi, ut Grammatici verba, quam fieri posset emendatissime, legerentur. Qua in re plerumque Codicum, inprimis Coisliniani, auctoritatem secutus sum, quorum auxilio pleraque perpurgari et pristinae sanitati restitui potuerunt; ita ut perpauca relicta credam, quibus aut coniecturali opera succurrendum sit, aut a melioribus libris medicina exspectanda. Paucas tamen Hudsoni, paucas aliorum coniecturas, unam alteramve meam, quae ceterorum Grammaticorum auctoritate, quae post MSStos proxima est, niteretur, reponere non dubitavi. Sed sunt ista perpauca. Hudsonus quidem depravatis admodum schedis usus multa passim temere mutaverat, multa inseruerat a Grammatici instituto maxime aliena. Verum ea omnia e contextu, quem vocant, ad ipsius notas reiecta sunt: adeo ut, si quis Hudsoni editionem cum hac nostra comparare instituat, alium se legere auctorem, prope sit crediturus. Sed cum levi, quod aiunt, brachio Hudsonus rem egerit, nihil asperius in eum dictum velim; ne eo reprehendendo inanem gloriolam captare videar.

Moeridis verbis recte atque ordine constitutis lectionum varietates e Codicibus annotatas summa cum cura in notis exhibui; ut si quid forte (quod aliter fieri vix potest) oculos meos effugerit, ab aliis detegi queat. Manifesta etiam librorum vitia indicare operae pretium duxi. Qua in re si qui forte nimis minutam fuisse diligentiam nostram existiment, sciant illi, minime eam utilitate carere. Hac enim via saepissime in aliis libris, in quibus MSStorum auxilio destitui-

mur, librariorum errores investigantur ac deprehenduntur. Quod ne quis temere a me dictum putet, uno in praesenti defungar exemplo. Litteras  $\iota$  et  $\rho$  in libris scriptis valde similes esse et ab amanuensibus creberrime confundi, vulgo non adeo notum est. Ita in Collatione Gronoviana apud Moeridem in Ὀξυθύμια pro ἀγχοιμαίοις scriptum est ἀγχοιμάροις. Similiter in Aristophanis quodam fragmento pro διέφθορας τὸν ὄρκον ἡμῶν reponi debere τὸν οἶκον, in notis ad Moerin monui. Ex hoc fonte solus Hesychius infinitis fere locis castigandus est. Οἶεσι, προβάτοις pro Ὀρεσι scribi debuisse pariter in notis observavimus. Sed sunt multo plura ad manum. Κίενεν, ἐπετέλεσεν. perperam pro Κρηένεν. Μερῶν, ἐλάσσων pro Μείων, ut superius recte exaratum est. Frustra Guietus a μέρος derivare conatur. Pari errore idem Hesychius Παρημοσύνη, θεραιτεία dedit pro Παιηοσύνη (a Παιήων, ut a πήμων, πημοσύνη), quod alio loco interpretatur per ἰατρεία. Paulo ante Παρήϊξαν, ἐκάλυον depravatum est ex Παρεῖρξαν. Verum monstri instar est, quod in littera P legitur: Ῥερπιδάω, τὸ πῦρ ἐκκαίουσι. Scripserat Hesychius: Ῥερπίδα, ὧ τὸ πῦρ ἐκκαίουσι. Ῥερπίδα autem prave pro ῥειπίδα, i. e. ῥιπίδα. Infra in Ῥίπιρ. Ἀττικοὶ δὲ ῥιπίδα, ὧ τὸ πῦρ καίουσι. Leg. ἐκκαίουσι. Larga eius generis emendationum seges in Hesychio, Suída aliisque scriptoribus superest, quam commodiori occasioni reservare malim. Plura alia quoque in promptu sunt, in quibus permiscendis aut depravandis, veluti de compacto, conspirarint librarii; et quae vel harum in Moeride variantium lectionum ope integritati restitui possent. Verum ea non sunt huius loci. E dictis satis liquere opinor, hanc in excerptendis lectionum varietatibus et librariorum peccatis demonstrandis curam non esse plane contemnendam. Ac praeiverunt nobis hac in parte homines, qui hoc seculo floruerunt aut etiamnum vigent, eruditissimi. Aliorum, qui has tantum esurientium Criticorum dapes esse atque delicias clamitant, et longe pulcherrimum, quod ipsis natura invidit, recte iudicandi donum stolide despiciunt, vuculas dudum contemnere didici. Hos tamen, ut ne prius in Criticorum lucubrationes, vel meas adeo in Moeridem animadversiones oculos coniciant, quam cum Musis et bona mente in gratiam redierint, rogatos

velim. Verum pauci tam irato genio nati sunt, aut omnem humanitatis sensum adeo exuerunt. Sed me reprimo.

Plurimos homines doctos e scriptis Moeridis Codicibus multa protulisse, saepe cum insigni quadam varietate, supra monui. Itaque utile visum est, suis locis, quas singuli glossas vel laudaverint vel respexerint, indicare. Non dubito tamen, quin hac in parte nonnulla diligentiam meam effugerint aut veluti in angulis, ubi minime quaerenda esse suspicabar, etiamnum lateant. Pleraque certe a me investigata existimem. Si quid neglexerim, praesertim unde nova lux Grammatico affulgere possit, quicumque indicaverit, me sibi beneficio obstringet.

Ut autem rectius de vera scriptura iudicaretur, illud mihi praecipue agendum esse existimavi, ut veterum Atticorum loca, ad quae Moeridis glossae referendae sint, aut quae saltem respicere potuerit, indagarem; similibus et aliorum exemplis, et Grammaticorum observatis illustrarem; atque ita non Moeridem tantum, sed et quosvis scriptores Graecos, maxime Atticos, nova luce perfunderem.

Hinc natae sunt Animadversiones meae, in quibus nihil fere, nisi quod nimis tritum videretur, silentio praeterii; pleraque, quamquam non pauca a doctis Thomae M. Interpretibus occupata erant, novorum exemplorum vi illuminare, et plurima prisci aevi monumenta vel a pravis aliorum explicationibus et correctionibus vindicare, vel etiam non infeliciter fortasse (praefiscine dixerim) emendare studui. Ipsa veterum loca paullo copiosius adscripsi: quod eam rationem ad adolescentes Graecae linguae studiosos, qui exemplarium Graecorum copia plerumque destituuntur, harum litterarum amore inflammandos utilissimam iudicarem. Recordabar enim, me adolescentulum legendis Valckenaerii aliorumque animadversionibus singulari veterum testimoniorum, quae ibi paullo plenius essent allata, suavitate captum iam tum incredibili ipsos illos scriptores evolviendi desiderio flagrasse. Graeca tamen Latine non verti, praeterquam difficiliora: ita enim libri moles, vel sic iusto maior, nimis excrevisset. Habent tirones, in quo industriam suam exercent.

Eruditis autem ut alia etiam dote liber placeret, occasione invitante latius evagari, linguae Graecae divitias quodam modo augere et male affectis veterum Graecorum scriptis medicinam adhibere, atque hoc condimento taedium Grammaticum minuere visum est. Feci hic, quod saepe peregrinatores faciunt, qui locorum amoenitate illecti pedem proferunt et ab itinere primum sibi proposito paulum deflectentes in vicinas aliquando regiones excurrunt. Verum, ut eo tandem deveniam, quod supra consulto praetermisi, multum a recepto hodie in Grammaticos Atticistas commentandi more discessi et plane diversum a plerisque hominibus eruditis tenui institutum. Nimirum hi prolatis e scriptoribus non solum Atticis, sed et aliis, ut inferius demonstrabitur, vocabulorum, quae Grammatici *Ἑλληνικά* sive *κοινὰ* appellant, exemplis Grammaticos turpissimorum errorum et summae inscitiae cum pari negligentia coniunctae convincere conantur: nec hoc tantum: sed et omni ipsos contumelia vexant; quos nihil hoc in litterarum genere vidisse, Hypsea caeciores, quin bardos, pecudes, stipites fuisse clamant. Quam adeo insignem iniuriam ut pro viribus repellerem, Grammaticorum, inprimis Atticistarum, atque adeo Moeridis mei causam paene abiectam ac desperatam passim in notis suscepi; hoc autem loco de recto Grammaticorum Atticistarum usu paullo plenius disputare constitui. Quod ipsis viris doctis et peritis harum rerum iudicibus non ingratum fore; tironibus autem litterarum Graecarum amantibus utile et ad viam, qua ad Grammaticos accedere debeant, muniendam necessarium esse censeo. Quodsi enim adeo stolidi et insulsi fuerint isti Grammatici; si tot tam ridiculos commiserint errores; si nil, nisi meras nugas, affanias ineptiasque conscribillarint; si malo denique animo et foeda allatrando libidine optimum quemque Graecorum et, quod maximum scelus est, sacros etiam scriptores invaserint, et pestilens virus suum in eos effuderint (haec enim et similia cum alibi tum in quorundam notis ad Thomam reperias): profecto haud sunt digni, qui e tenebris in lucem proferantur et legantur; multo minus, qui eruditorum commentariis illustrentur aut refellantur. Equidem, quamquam Grammaticos homines fuisse scio et communi errandi sorti

obnoxios: nec enim adeo ineptus eorum sum admirator: tamen nullo modo eos meruisse tanta acerbitate increpari, tam indignis modis haberi, tot conviciis lacerari contendo. Imo certum habeo, ad veterum Graecorum, Atticorum inprimis, intellectum sine Grammaticorum ope atque auxilio vix ac ne vix quidem posse perveniri. Verum ordine agendum est, breviter tamen, ne in ipso limine nimis diu haereamus.

Dialectos linguae Graecae praecipuas tres fuisse, Atticam, Ionicam, Doricam (Aeolica enim, quae ab aliis additur, ad Doricam veluti stirpem et matrem suam referenda est), omnibus, qui vel primis labiis has litteras degustarunt, notissimum est. Quae a Stephano, Mattairio aliisque hanc in rem prolata sunt, repetere haud libet.

Ceterae fere Dialecti intra regionum suarum terminos constiterunt; et si ad Atticorum multitudinem compares, qui Dialecto Dorica, Ionica, Aeolica ingenii monumenta conscripta reliquerint, paucissimos fuisse reperias.

Solae omnium doctrinarum atque artium inventrices Athenae linguae suae fines veluti latius propagarunt et fecundo omnis generis scriptorum proventu, et temporis diuturnitate maxime floruerunt. Verum, quemadmodum aliarum omnium linguarum, ita etiam Atticae, imo universae linguae Graecae quaedam aetates fuerunt. Multa apud veteres Graecos Atticosque in honore fuerunt vocabula, quae postea ex usu cecidere ac deinceps apud recentiores renata sunt.

Dialectus Attica a veteribus Grammaticis distinguitur in veterem et novam. Vetere usi sunt Thucydides, Tragici et nonnulli priscae Comoediae poëtae. His successerunt mediae Comoediae poëtae, quibus propria vocabula multis in locis recenset Pollux. Vid. lib. I. 232. 233. lib. II. 197. lib. VII. 17. 69. 71. 162. etc. Hi aliquando μέσοι dicti sunt. Vid. not. ad Moeridem v. Χόλικας. Nova Dialecto Attica scripsere Plato, Xenophon, Oratores, Menander aliique Comici, quique Atticos imitando expresserunt recentiores Sophistae. Sed de duplici Dialecto Attica aliquando, si benignissimum Numen vitam et maius otium dederit, pluribus agere constitui. Haec verbo praemittenda erant, in sequentibus usui futura.



Reliquis Dialectis vulgo addi solet ἡ κοινὴ διάλεκτος (v. Schol. Aristoph. Plut. v. 40.), quae alias Ἑλληνικὴ appellatur. Saepissime etiam apud Grammaticos τοὺς κοινούς et κοινῶς reperias: de quibus quid statuendum sit, paucis aperiam. Per vocabula κοινὰ intelligenda sunt vocabula, quae omnibus Graecis essent communia. Ita e. g. ἄθλιος Atticum est, ἀτυχής eodem sensu Atticis et ceteris Graecis κοινόν, commune. Ἐξίλλειν Atticum, ἐξείργειν et ἐκβάλλειν κοινὰ, Atticis cum vulgo Graecorum communia. Conf. ad Moerin p. 388. 389. Quaedam vocabula κοινῶς, communiter, eadem significatione usurpabantur a Graecis et Atticis; v. c. διαλέγεσθαι communiter, κοινῶς significat colloqui; verum praeterea significatum Atticis proprium habet in re Venerea. Sic χαρίζεσθαι Etymologo p. 807. l. 20. κοινῶς μὲν, ὡς οἱ πολλοί. ἰδίως δὲ καὶ ὡς (f. Ἀττικῶς) ὑπὸ ἀφροδισίων. ἢ ὑπὸ τοῦ ἐν λόγῳ ὑποκατακλίνεσθαι. Nihil disertius Athenaei verbis lib. II. p. 52. κάρνα. οἱ Ἀττικοὶ καὶ οἱ ἄλλοι συγγραφεῖς κοινῶς πάντα τὰ ἀκρόδρα κάρνα λέγουσι. Multa similia afferre facile foret. Haec qui secum reputaverit, non mirabitur, multa apud scriptores Atticos reperiri vocabula, quae Grammatici κοινὰ sive Ἑλληνικὰ appellant. Dialecti Graecae longe plurimas habuere voces κοινὰς, omnibus communes, paucas, si ad harum κοινῶν multitudinem compares, sibi singulis tantum proprias, vel forma, vel significatione a communi usu recedentes. Per τοὺς κοινούς itaque intelligo, qui Atticarum elegantiarum minus studiosi vocabulis formisque vocabulorum communiter receptis communi significatione utebantur. Ita τοῖς Ἀττικοῖς opponuntur apud Suidam in Ἀθήρη. κλίνεται δὲ παρὰ μὲν τοῖς Ἀττικοῖς διὰ τοῦ ἠ ἀθήρης· οἱ δὲ κοινοὶ διὰ τοῦ α ἀθήρας, et alibi saepe. Similiter οἱ Ἑλληνες scriptores sunt, qui Ἑλληνικῶς, Graece, scripsere, nullis aut paucis vocabulis formisque vocabulorum, certae cuidam Dialecto propriis, usurpatis. Multum enim falluntur, qui per τοὺς Ἑλληνας scriptores rudes ac paene barbaros, per vocabula autem Ἑλληνικὰ barbara et non nisi infimae Graecorum plebi usitata intelligenda existimant. Solet enim ὁ Ἑλληνισμός a vetustis Grammaticis Barbarismo opponi. V. Auctor



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**FORGOTTEN BOOKS**

**FULL**

**MEMBERSHIP**

**797,885 Books!**

**All you can read**

**for only**

**\$8.99/month**

**Continue**

\*Fair usage policy applies



Moeris itaque voces Atticas et formas verborum Atticas in Platonis, Thucydidis, Xenophontis aliorumque veterum scriptis, praecipue tamen apud Aristophanem obvias, per communes interpretatus est: res vero et ritus sive antiquitates Atticorum rarissime attigit, praeterquam in *Γεννηται*, ubi diserte addit: καὶ τὸ πρᾶγμα καὶ τὸ ὄνομα Atticum esse.

Singulis autem paene vocabulis addidit Ἀττικῶς et Ἑλληνικῶς, sive κοινῶς, ut e. g. ἄνθρωπον, Ἀττικῶς. ἄνθρωπον, Ἑλληνικῶς. quae alii Grammatici simpliciter sic posuerunt: ἄνθρωπον, ἄνθρωπον. Nonnunquam tamen ab hoc more recessit et ceterorum Grammaticorum exemplo vocabula Attica simpliciter per κοινὰ explicuit: ut Κατιτήριον, τὸν τοῦ νεκροῦ ὄβολον. Μητριὸν, τὸν πατριόν. v. Ἐπίκληρος. Εἰκοστολόγον. cet. vel addito Ἀττικῶς, ut Συρμαίαν, Ἀττικῶς, τὰ λεπτὰ λάχανα. vel in fine, ut Φθόην, τὴν φθίσιν, Ἀττικῶς. Φοιτητήν, τὸν μαθητήν, Ἀττικῶς. etc. in quibus observari meretur usus articuli ὁ, ἡ, τὸ, quem Grammatici non glossis, sed earum interpretamentis solent addere; ad quod homines eruditi saepe non attenderunt. Exemplo sit Suidae interpres in Ἀμαξουργοί, qui ἄμαξουργοὺς λέγουσι τοὺς ἀγριοπήγους ita vertit: Ἀμαξούργους Attici vocabant ἀγριοπήγους. Perperam. Qui enim vulgo ἀγριοπήγοι dicebantur, hos Attici et Aristophanes Equit. v. 462. ἄμαξούργους appellarunt. Hanc ob causam in Polluce lib. VI. 55. pro τὰ μέντοι θνησεΐδια κρέα καὶ κενέβρια ἐκάλουν. delendum καὶ cum MSS., carnes morticinas dicebant κενέβρια. Sic in Hesychio pro Κορυπτόληπτον, κερατιστήν, reposuimus Κορυπτόλην, τὸν κερατιστήν. Plura non addam, postquam Athenaei locum protulero e lib. XI. p. 494. F. Ὀνυξ. Πάμφιλος ἐν Ἀττικαῖς Λέξεσι τὸ ξύλινον ποτήριον ἀποδίδωσι. Aliquoties etiam Moeris adhibuit usitatam Grammaticis loquendi formulam ἀντὶ τοῦ, v. c. Ἐξαλλημιμένον, ἀντὶ τοῦ κεχρισμένον, ὡς Θουκυδίδης. Conf. Ζώσαντες. Ἰλιγγιᾶν. Κῆχος. Κόψυχος. Πλέω. Συγγενήσεσιν. Ωσαύτως. Χολήν, ἀντὶ τοῦ μανίαν, Ἀττικῶς.

Ex his iam satis constat, Moerin pleraque illa vocabula, quae Ἑλληνικὰ appellantur, non improbasse, nec negasse, illa unquam ab Atticis fuisse usurpata. Qua in opinione cum multi homines docti versentur, exemplis harum vocum e

scriptoribus Atticis afferendis nihil aliud efficiunt, quam quod nec ipse Moeris, nec ceteri Grammatici Atticistae negaverint, Atticos etiam vocibus κοιναῖς, Ἑλληνικαῖς, communibus fuisse usos. Ipsae autem glossae Atticae et Grammaticorum observationes, quae veterum scriptorum locis illustrandis admoveri debuissent, ab iisdem viris eruditis paene sunt neglectae.

Sed Moeridis, Aelii Dionysii ceterorumque Grammaticorum, qui idem institutum tenuerint, observationes in quasdam veluti classes distribuendae sunt.

Ac primo quidem voces rariores, sive glossematicas ab hoc vel illo veterum Atticorum usurpatas, quae sua aetate iam in desuetudinem abiissent, per Ἑλληνικὰς suo tempore receptas explicuerunt. E multis pauculas afferam: Ἀδάξασθαι, ἄδαγμός. Ἀναῤῥιγᾶσθαι. Βρενθύεσθαι. Ἐρεσχηλεῖν. Ἐπίσιον. Κάχρως. Σεισάχθεια. Σκορδιᾶσθαι. Σκιμαλίσαι. Ὠρακιᾶν. Κάχρως, inquit Moeris, Ἀττικῶς. κριθαὶ πεφρυγμέναι, Ἑλληνικῶς. Similiter alii Grammatici interpretantur. Legitur quidem apud Thucydid. lib. VI. cap. 22. p. 393. κριθαὶ πεφρυγμέναι, et potuit gravissimus scriptor vocibus communibus uti. Longe tamen probabilius, illas e Scholiastae cuiusdam nota in textum irrepsisse et Atticum κάχρως reponi debere. Incredibili enim licentia librarii in veterum scriptis hac in parte grassati ubique fere glossas substitutis earum interpretamentis oblitterarunt. Grammaticorum igitur ope voces istae glossematicae infinitis locis et possunt revocari et debent. Verum illud nunc non ago. Nec negaverim, pleraque illa verba vel nomina, quibus Grammatici ad rariora et glossematica interpretanda utuntur, apud scriptores Atticos reperiri. Sed qui haec anxie conquirunt ad Grammaticos refellendos, istos opera sua mirifice abuti contendo. Sunt enim haec Atticis cum ceteris Graecis communia; illa, quae supra posui, solis Atticis, aut si qui eorum elegantias exprimere studuerint, propria.

Rariores voces et quae inter ἄπαξ aut certe σπανίως εἰρημμένας referantur, ceterorum Grammaticorum more Moeris veterum auctoritate munivit. Sic e. g. Ἀνακὲς ὀξύτόνως, Ἀττικῶς. καὶ Εὐπόλις Αἰξίν. ἀθεράπευτον, Ἑλληνικῶς. Huius generis multae observationes e veteribus Atticistis in Suidae farragine dispersae reperiuntur, quas si quis cum cura in unum

τικῆ ἀδελῆ illas usurpasse certissimum est. V. Schol. Sophoclis ad Ai. v. 540. Ceteri scriptores Attici quoque ab his formis communibus plane abstinuisse non videntur. V. not. ad Herodian. p. 439. Verum eadem de librariorum socordia, dicam, an temeritate querela hoc etiam loco repetenda est. Hic sibi tantum indulserunt homines rudes et inficeti, ut, quid auctor scriptum reliquerit, plane ignores. Itaque frustra Viri eruditi haec et similia Grammaticis opponunt. Sed, quod minus ferendum est, e quibusvis etiam poëtis, ex tragicorum Atticorum choris plerisque Dorica Dialecto scriptis, e vulgaribus scriptoribus, Dionysio Halic., Josepho, Philone Judaeo, Plutarcho, Diogene Laërtio, qui assidua veterum lectione multa quidem vocabula Attica ceteris admiscuerunt, sed qui minime pro Atticismi regula habendi sunt, et aliis, Patribus etiam Ecclesiasticis, exempla proferendo Grammaticis grandem erroris dicam impingunt. Saepe etiam Atticos veteres a recentioribus non distinguunt. Ἀρῶν, θάρσος, μυρῶνη pro ἄρσων, θάρσος, μυρσίνη Attica, posterioris nempe Atticismi sunt. Ἄρσων, θάρσος, μυρσίνη veteri Dialecto Atticae et vulgo Graecorum communia. Apud Tragicos et Thucydidem non per ρρ, sed per ρσ scripta leguntur, praeterquam paucis locis, ubi librarii recentioris Atticismi formam veteri substituere. Qui itaque e Tragicorum locis, in quibus haec per ρσ scribuntur, Grammaticos inscitiae convincere conantur, videant, ne ipsi maioris imperitiae vincantur.

Veteres Attici multa verba primitiva frequentarunt (quo enim quis antiquior, eo plura simplicia et primas linguae origines referentia vocabula usurpavit), ut δεῖν, ἀλεῖν, θέρεσθαι, κνεῖν, νεῖν cet. Derivata δεσμεύειν, ἀλήθειν, θερμαίνεσθαι, κνήθειν, νήθειν apud Atticos recentiores non raro occurrunt, a ceteris etiam Graecis recepta. His qui uti velit ad Maistros refellendos, multum errabit. Sed plura singulatim proferre necesse non videtur.

Illud tamen praetermittendum non est, quaedam vocabula, quae apud recentiores Graecos ἐν τῇ συνηθείᾳ in honore essent, sed apud veterum neminem reperirentur, annotasse Moeridem. Ἀποκήρυκτον, Ἀττικῶς. ἀπόρρητον, Ἑλληνικῶς. παρ' οὐδενὶ τῶν παλαιῶν. Ἀμοιβήν οὐδεὶς τῶν Ἀττι-

κῶν ῥητόρων. χάριν γὰρ λέγουσι τὴν ἀμοιβήν. ἀμύναν δὲ οὐδείς τῶν Ἀττικῶν λέγει. Εὐκαιρεῖα, οὐδείς εἶρηκε τῶν παλαιῶν. Ἕλληνες δέ. Conf. Εὐκταῖον, Εὐμορφον, Λυσιτέλειαν, Πάντοτε, Τελευταῖον, Φθορέα. Eadem ratione Aelius Dionysius, Pollux, Phrynichus aliique loquuntur, plerumque verissime: quin tamen hac in parte nonnunquam humani aliquid passi sint, non repugnem. Sed haec ceteris eorum meritis condonanda. Ea, quae Moeris a se reperta negat, non facile apud veterum quempiam inventum iri affirmo.

Ex iis, quae disputavi, satis, ni fallor, de Moeridis instituto iudicari potest; et simul apparet, ad verum Dialecti Atticae et scriptorum Atticorum intellectum multa hinc posse hauriri; adeoque merito hunc libellum a Cel. Valckenaerio ad Eurip. Phoen. p. 480. appellari utilissimum.

De ceteris verbo absolvam. Pollucis Atticistarum, qui supersunt, facile principis institutum a reliquis paullo fuit diversum. Linguae nempe Atticae, sua aetate prope intermortuae, vocabula per quasdam classes sive locos communes digesta exhibens veluti in horreum, e quo Atticarum elegantiarum, imo et quarumvis artium ac disciplinarum studiosi suos in usus repetant, congegit; in rarioribus veterum testimonia adscripsit; non pauca etiam ἰδιωτικά, ἐπαχθῆ, μοχθηρὰ, εὐτελεῖα, σκληρὰ, βάρβαρα, ποιητικώτερα reiecit, propterea quidem a Camerario reprehensus, sed cuius censuram praeclare refellit Magnus Hemsterhusius Praef. p. 41.

Ammonii causam contra acerbam et iniustam H. Stephani criminationem cum egregie tuitus sit Cel. Valckenaerius Praef. p. 22. et seqq. nobis hac in parte otium fecit.

Phrynichum, quem passim eruditi paene omnes vitio creatum censorem appellant et indignissimis modis lacerant, ab invidia, qua immerito premitur, liberare annitar. Diversam hic a Moeride aliisque rationem tenuit; non enim voces Atticas explicuit, sed in Corneliani Atticae puritatis studiosissimi gratiam voces minus probatas, sua aetate increbrescentes, ἐπιπολαζούσας, praeter aut contra antiquorum morem usurpatas, collegit. Ac primo quidem recentiores Graecos reprehendit, qui ὁ ῥῶξ dicebant pro ἡ ῥάξ (v. p. 26.). γλωσσ-

p. 867. ubi διαπρέψαι pro διατρέψαι. Sed transitivae significationis pro decoro, orno, καλλωπίζω, praeter illud Platonis nullum reperitur exemplum. Hic quidem iure Thomas poterat a Trillero vapulare. Non ignoro, neutra quaedam interdum transitive usurpari, sed διαπρέπειν his annumerandum esse non facile mihi persuaderi poterat. Platonis locus est Gorg. p. 331. E. [p. 485. E. St.] ὅτι ἀμελεῖς, ὦ Σώκρατες, ὧν δεῖ σε ἐπιμελεῖσθαι, καὶ φύσιν ψυχῆς ὧδε γενναίαν μειρακιώδει διαπρέπεις μορφώματι. quo in loco philosophorum summus Euripidae dictum παρωδιάζει, quod conservavit Philostratus V. A. lib. IV. cap. 21. κόρυν μὲν οὐδεμίαν φέρων, γυναικομίμῳ δὲ μορφώματι, κατὰ τὸν Εὐριπίδην αἰσχροῶς διαπρέπων. ubi Olearius male φέρειν et διαπρέπειν in textum invexit et ad Eurip. Bacchas v. 853. 978. respici putat. Illustris Grotius in Exc. e Trag. et Com. p. 373. dedit:

— ψυχῆς ὧδε γενναίαν φύσιν  
Γυναικομίμῳ διατρέπεις μορφώματι.

et ita interpretatur:

— animi sicne generosi ināolem  
In morem et habitum mulierum emasculas.

Sed διατρέπειν omnino vitio laborat, cui et Plato et Philostratus adversantur, et similis Sophoclis locus apud Clement. Alexandr. Paed. lib. III. p. 286. ἀβροδίαυτον δὲ νεανίαν ὁ Σοφοκλῆς λέγει. Γυναικομίμοις ἐμπρεπεῖς ἐσθήμασιν. Pessime interpres: Quae feminarum sunt amictae vestibus. Accentu mutato lege ἐμπρέπεις vel ἐμπρεπῆς, femineo amictu decorus. Erravit Thomas, cum in aequo vitiosos, ac nos hodie versamus, Platonis Codices incidisset, e quibus vox quaeperiam librariorum incuria periit: quod e Libanio Op. T. II. p. 494. C. pro saltatoribus liquide apparet: εἰ μὲν ὅσα γυναικείου σχήματος, ταῦτα ἢ ὄρχησις ἀπολαβοῦσα, καὶ τὰ τοῖς ἀνδράσι προσήκονταφυγοῦσα καθάπαξ, ἐπὶ τοῦτο ἐποιεῖτο τὴν διατριβήν, καὶ τοῦτο ἦν ἢ τέχνη, γυναικῶν μίμησις, οὐδ' οὕτως μὲν ἂν διέφθειρε γενναίαν φύσιν. Vides Sophistam in ultimis Platonis locum respicere, in quo vel φθείρεις vel διαφθείρεις reponendum est, et διαπρεπῆς. Euripidae autem versus sic constituendi:

Φθείρετε δὲ ψυχῆς ὧδε γενναίαν φύσιν  
 Γυναικομίμω διαπρεπῆς μορφώματι,

vel διαπρέπων, quod pluribus nunc non licet confirmare. Ad Thomae quippe causam revertendum est et atrocissimum impietatis crimen ab illo repellendum. Ut enim reliquas Trilleri criminationes, iniquissimas illas, quibus supra iam satis responsum est, omittam, facere non possum, quin addam, Thomam impietatis, ac si malo animo voces sacris scriptoribus usitatas damnasset et venenum suum in eos evomisset, nullo iure accusari. Aliquoties τὴν θείαν γραφήν citat Thomas et singularem vocum usum indicat, sed nusquam reprehendit. Plurimas quidem voces et loquendi formulas, quibus S. Scriptores usi sunt, minus Atticas, a quibus Attice loqui et scribere cupientibus cavendum sit, annotavit; sed quas praeter S. Scriptores alii etiam bene multi usurparunt, qui aut eodem fere tempore, aut deinceps Graece scripsere. Cur igitur Trillerus tantas tragoedias excitat? Cur innocenti Grammatico foedissimam maculam inurit? Sacri Scriptores sapienter usi sunt vocabulis et loquendi formulis aetate sua receptis et pia Christianorum plebi cognitis. Qui si Atticorum veterum lingua scripsissent, quotusquisque Graecorum eos intellexisset? Nollem itaque, viros eruditos, qui sacros N. F. libros observationibus philologicis illustrarunt, toties tam cupide Magistros Atticistas sibi sumsisse refellendos; et omnia adeo, quae in S. litteris occurrant, pro Ἀττικωτάτοις venditasse. Recte quidem illi Dionysii Halic., Iosephi, Plutarchi aliorumque, qui S. scriptoribus proximi aetate fuerunt, sermonem cum N. F. comparant: verum illos scriptoribus Atticis annumerandos non esse supra iam diximus. Aliam viam nuper ingressus est Wetstenius: qui, quum sibi persuasisset, S. Scriptores ἰδιωτικῶς, barbare, et omnium pessime scripsisse, Grammaticorum observatis frequenter mirifice abusus est, multa Moeridis quoque loca plane ἀπροσδιονύσως attulit; quales ipsius errores nonnullos in notis castigavimus (v. p. 33. 145. 276. 314. 414.), longe plures notare negleximus; sed quos nimiae potius festinationi, qua Vir doctissimus, iam tum instantis fati praesagus, materiam, quam multorum annorum labore college-



rat, indigestam proferre, quam tenebris relinquere maluit, tribuendos et condonandos existimamus.

Haec de recto Atticistarum usu solo veritatis amore ductus libere disserui. Si quid paullo acrius dictum exciderit, iusta causa et indignatio invito expressit.

Moeridi Gregorium Martinum de veteri et vera Graecarum litterarum pronuntiatione comitem dederat Hudsonus. Nos eius loco duo **HERODIANI**, clari inprimis Grammatici, opuscula addidimus, prius antea ineditum, posterius e MSS. nunc longe emendatius atque auctius. Prius opusculum in Codice Regio 2552. e quo in Ruhnkenii, qui mihi postea concessit, gratiam descripserat Eruditissimus Capperonierius, ἀρρῆται *Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ Φιλῆταιρος*. Aelii quidem praenomen in libris editis, quod sciam, nusquam Herodiano tribuitur; verum legitur etiam in MSS. qui sunt in Bibliotheca Divi Marci Venetiis. V. Catal. p. 275. 276. Nec causam video, cur alicui suspectum esse debeat; cum multi Sophistae et Grammatici idem praenomen habuerint, ut Aelius Dionysius, Aelius Aristides, Aelius Harpocraton, Aelius Asclepiades, Aelius Theo Alexandrinus, alii: de quibus cum Virum eruditissimum eundemque socerum honoratissimum, Henr. Canegieterum consuluissem, ita respondit: „Sophistae illi „Graeci homines, quos dicis, Aristides, Asclepiades, Dionysius, Harpocraton, Theo Alexandrinus, nomen Aelii, ut „puto, acceperunt ab Imperatore Aelio, de quo iure Peregrinorum ferendi nomina Romana dixi nuper in de mutata „Romanorum nominum sub Principibus ratione cap. VI. Imperatores autem et Caesares ius Aelii nominis habuerunt „omnes inde a T. Aelio Hadriano usque ad Pertinacem per „adoptionem, qua cum Hadriano fuerunt coniuncti. Praecipui tamen inter omnes Aelii nomine censentur Hadrianus et „L. Aelius Caesar, et huius filius iisdem nominibus dictus a „nonnullis, at vero in nummis L. Aurelius vocatus, de cuius „nominibus multa Capitolinus in Vero Imperatore cap. I. Ad „Aeliorum ergo Imperatorum aetatem referendi sunt illi Aelii „Sophistae, aut si quis serior, eius parenti civitas data existimanda est ab Aelio Imperatore. Prae ceteris autem peregrinis facile Sophistas civitatem adeptos esse credibile est,



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**SAVE \$3,999,994**

Did you know we sell  
paperback books too?

To buy our entire catalog  
in paperback would cost  
over \$4,000,000

Access it all now for  
\$8.99/month

\*Fair usage policy applies

**Continue**

## XXXVI

Contulerant hunc libellum cum MS. Regio Sallierius et Stoeberus, notas quoque nonnullas adiecerat Sallierius: quae omnia a Stoebero ad Ruhnkenium missa eius humanitate ad me pervenerunt. Postea Cl. Ruhnkenius hunc libellum cum MS. Regio 2662. quem viri eruditi non inspexerant, comparavit. Horum MStorum ope fragmentum hoc multis locis emaculatum et tertia fere parte auctum prodit. Nunnesii, Hoeschellii et Pauwii notas, cum Pauwii editio in omnium manus versetur, omisimus, Sallieri nostrisque animadversionibus adiectis. Hactenus de Herodiano.

Adieci operi sex Indices necessarios; primum Auctorum a Moeride citatorum: secundum eorum, qui ab Herodiano laudantur: tertium omnium fere vocum tum Atticarum, tum *Ἑλληνικῶν*, quae in Moeride occurrunt: quartum vocabulorum ab Herodiano explicitorum: quintum auctorum in notis illustratorum, explicitorum, emendatorum: sextum denique rerum et verborum, quae in notis explicantur.

Atque ita omnem meam in Moeride et Herodiano adornandis rationem declaravi: quam si eruditis probavero, satis magnum molesti laboris praemium mihi retulisse videbor.

---

---

JOANNIS HUDSONI  
P R A E F A T I O.

---

CLARISSIMO VIRO  
G E O R G I O H A R B I N I O  
S. P.

Remitto Tibi, Vir egregie, Atticistam tuum, quem superiori anno mihi attulit amicus tuus, Vir doctus pariter ac nobilis: teque oro atque obtestor, ut longo post intervallo reducem benigne excipias; tantum licet ab illo, quem mihi utendum perhumaniter dedisti, mutatum, ut iam pro tuo vix posses agnoscere. Nam cum in Apographo tuo, quod ex Cl. I. Priscaei schedis descriptum esse mihi retulisti, voces quidem singulas iuxta Alphabeti, ut aiunt, elementa collocatas invenerim, minus tamen accurate istis in literis, quae primam cuiusque vocabuli literam insequuntur; mihi libellum hunc edere paranti optimum visum est, dictiones ea methodo disponere, qua Lectores quaerendi labore aliquantulum levarem: etsi noverim, fore nonnullos, qui hoc meum institutum non leviter reprehendent. Quicquid tamen isti (censores morosi) hac de re sentiant, fidenter affirmo, paceque illorum dicam, culpam hanc leviculam (si qua sit, immutare verborum ordinem, ubi non alia ex aliis nexa sunt et inter se colligata) commodis, uno aut altero, satis magnis compensari. Praeterea, quum in eodem illo Exemplari permulta essent, quod tu minime ignoras, scribarum incuria et inscitia valde depravata, plurima etiam mutila et detruncata, atque nonnulla suo loco dimota, operam dedi ut vitiosa corrigerem et luxata ac lacunis hiantia suo quaeque ordini ac integritati restituerem. Qua in re, ut in universo opere perpoliendo, quantum praestite-

rim, tui aliorumque tui similibus esto iudicium. Omnia me sanasse et emendasse non profiteor, nonnulla tamen, nec infeliciter, prae me fero; neque hoc arroganter dictum existimabit, aut mihi gloriolam istam invidet aequus rerum aestimator. Verum, de rei tantillae eventu parum sollicitus, te proluxa rationum ambage, dum tibi satis iustam excusationem afferam, non morabor. Necesse tamen habeo hoc te admonere; quod ubicunque coniecturas meas, ad corrupta emendanda aut ad supplendum quod excidisse suspicatus sum, in textum recepi, Codicis MS. verba fideliter ad imum paginae subiecerim et interpolationes, ne lectori quid fraudi esset, uncis inclusas dederim: quod abs te, si paulo difficilior esses, probatum iri, mihi met persuadeo; ut et illud etiam, quod, quum in aliquibus mihi ipsi non satisfecerim, novas de locis male affectis cogitationes post *Λέξεων Ἑλληνικῶν* et Auctorum indices comparere voverim. Iam ad Atticistae nostri aetatem quod attinet (nam de ea forsitan aliquid scire desideres), unicum hoc certis auctoribus comperio, quod Photium tempore antecesserit et Phrynicho fuerit recentior: nam hunc laudat et ab illo laudatur: quorum alter sub Antonino et Commodo imp. floruit, alter nono demum saeculo infula insignitus est. Laxum, inquit, spatium. Certius tamen aliquid magisve definitum proferre non datur. Adeo enim, ob scriptorum veterum penuriam in obscuro est illius notitia, ut vel de nomine eius inter eruditos parum conveniat: quorum aliis cum MS. nostro Eumoerides est, aliis vero Moeris ex Photio. Postremam hanc appellationem eo libentius amplexus sum, quod pro ea faciat virorum maximorum auctoritas, Usserii scilicet, Salmasii, Du-Cangii et Menagii; qui non solum libellum hunc oculis usurparunt, sed et ad literas augendas illustrandasque ex eo nonnulla protulerunt. Atque hactenus de Moeride; cui, ut Enchiridii saltem mensuram quadantenus impleret, adiungere primum decreveram *Ἐκλογὰς λέξεων*, quarum copiam uberrimam nostrae suppeditant Bibliothecae. Sed quum eas in plerisque cum Hesychio, Suida et Etymologico magno consentire deprehenderim; iisque conferendis digerendisque plus temporis exigeretur, quam mihi ex gravioribus negotiis supererat, illis, quibus otium est cum dignitate,

provinciam hanc intactam et illibatam relinquo. Ne tamen sine comite in lucem conspectumque omnium prodiret Moeris, opportune se mihi obtulit Gregorius Martinus \*), quem nobis conservavit Cl. Seldeni Museum: cui sane, licet de argumento scripserit, quod multis abhinc annis eruditorum ingenia exercuit, non invitus tamen memet passus sum obstetricari: quod comptus sit et elegans, subtilis et acutus, et necessitudine quadam attigerit avum illustris istius Herois, cui pretii quantitatis libros, statuas et marmora, Graeciae Latique spolia, accepta debemus. Haec te volebam. Vale, V. O. et nobilissimo Vice-Comiti, cuius Bibliothecae praefecturam geris, eiusque familiae clarissimae, in qua semper verus honos et splendor virtutis enituit, fausta omnia mecum apprecare.

---

\*) De quo vide sis *Athenas Oxonienses* Vol. I. p. 169.

---

**C O N S P E C T U M**  
**EDITIONIS**  
**MOERIDIS ATTICISTAE**  
**DE**  
**VOCIBUS**  
**ATTICIS ET HELLENICIS**  
**SUO STUDIO DENUO ADORNANDAE, ADIECTA**  
**CONIECTURARUM**  
**IN EUNDEM LIBELLUM PARTICULA,**  
**GRAECARUM LITTERARUM PERITIS**  
**DIUDICANDUM SISTIT**  
**M. IULIUS CAROLUS SCHLAEGER**  
**HANNOVERANUS.**

---

**I**n iis veterum monumentis, quae cum rei litterariae intertrimento paene irreparabili ad hanc usque hominum aetatem abdita delituere atque retrusa, numeranda utique venit minuscula quidem, at haud inelegans multique usus *vocum Atticarum atque Hellenicarum collectio*, quae sub *Moeridis Atticistae* nomine circumfertur. Hoc enim opusculum postquam diu multumque cum tineis erat conflictatum, superiore demum saeculo iuvante, ni fallor, *Joan. Pricaeo*, Anglo, quem apographum ex manuscripto Vindobonensi habuisse refert ὁ πᾶνν *Joan. Albert. Fabricius Biblioth. Graec. Vol. IV. pag. 519.* temporis ereptum iniuriae, eruditis primi ordinis innotuit; ita vero, ut librarii descriptum manu in solis

museis fuerit tritum. Tandem ante annos non ita multos in diem lucemque publicam vindicavit scriptorem, meliori dignum sorte, *Joan. Hudsonus*, Protobibliothecarius quondam Bodleianus, cuius gloria, quam humanitate peritiaque Graeca sibi peperit, tum intercidet, quum ingenuis artibus nullus amplius inter mortales honos tribuetur. Prodit libellus tecto editoris nomine Oxoniae e Theatro Scheldoniano 1712. forma, quam vocant, octava maiori. Vid. *Acta Erud. Tom. VI. Supplem.* p. 49. Verum, ut libri, in Anglia qui excuduntur, in his terris aves esse consueverunt longe rarissimae; et, si forte fortuna huc migrant, multo redimendae argento: ita optimus ceteroquin *Hudsonus* hisce dapibus non nisi suos populares explevit. Hac de re factum, ut *Moeris* vix nomine satis notus fuerit iis etiam, qui Graeca non contemnunt; quemadmodum Cl. *Joan. Matth. Gesnerus*, nunquam mihi, nisi honoris causa, nominandus, litteris ad me datis verissime iudicavit. Quae eruditorum ut levaretur inopia, litteris Graecis eruditissimi viri, *Ludolph. Kusterus*, *Carol. Andr. Dukerus* et *Sallierius*, natione Gallus, ad Moeridem, novis perpolitum curis, rursus pervulgandum animum appulerunt. Ast, ad conatum hunc, laudatissimum licet, haudquaquam tamen felix faustusque eventus respondit. Alios enim, quominus vocis exhiberent fidem, mors prohibuit: alii alias ob causas consilium postea damnarunt suum. Vid. Cl. *Fabricius* l. c. et *Novell. Litterar. Lipsiens.* an. 1712. p. 179.

Spartam igitur hanc, hucusque derelictam, Fautorum amicorumque excitatus monitis mihi si sumo pro virili parte ornandam: non arbitror quicquam committere, quod vel ab artium flore, ab omnibus litterarum studiosis indies augenda, aut a meis studiis alienum, quae Graecis orientalibusque Musis excolendis dicata praecipue sunt atque consecrata. Nec fore quemquam eorum, qui suas curas omnes in salute huius studii defigunt, cui hoc meum consilium displiceat, fidenti animo mihi promitto: ego modo orbis litterati, quam de me concipiet, spem ita explevero, ut hoc munere, qua fieri decet accuratione, functus videar. Quod ut fiat atque ego cum litterarum emolumento in hoc labore verser, iuvabit eruditorum



prius mentem expiscari eosdemque ad symbola conferenda humanissime invitare. Id nempe cordatus quisque cognitum habet atque compertum, rei litterarum communis splendorem ad illum et dignitatis et perfectionis gradum, quo Graecorum Romanorumque aevo eminuit, iri evectorum nunquam; nisi regiam illam viam, quam heroes illi sunt ingressi, rursus ingrediamur; ut non singuli ex suo arbitrio, aut insana scriptis inclarescendi libidine, sed ad optimorum iudicium scripta excudant sua. Quem in finem strictim edisseram, quibus instructus subsidiis operam hanc aggrediar; subiuncturus coniecturarum in Moeridem ἀποσπασμάτιον, et de notis addendis, quod cepi, consilium.

Ad prius quod attinet, inprimis honorificentissimis laudibus decorandi mihi sunt Summe Reverendi Celeberrimique *Joan. Christoph.* et *Joan. Christ. Wolfii*, huius urbis, quid? orbis eruditi decora atque ornamenta, quorum beneficia, inde a compluribus retro annis largissima manu in me collata, quoniam referre nequeo, aetatem devenerabor. Hi, quo complectuntur omnes mansuetiorum Musarum cultores amore, ac me affectu plusquam paterno, certiores de meo facti instituto non solum utendum mihi concesserunt *Photii lexicon ἀνέκδοτον*, sed etiam varias Moeridis lectiones mecum voluere communicatas, quas Vir Maxime Venerabilis, quum Lugduni Batavorum commoraretur, ex *Is. Vossii* codice ad libri oram annotaverat. Integrum conferre tunc temporis ipsi fuit visum supervacaneum, quod Vossianum illud MSS. maximam partem cum Hudsoniana legendi ratione congruere animadvertēbat. Convenientiam ex eo fonte crediderim profluxisse, uterque codex quod ex supra laudati *Joan. Pricaei* schedis in Anglia asservatis descriptus. Sunt nihilo minus tamen aliqua, sed perpauca, in ea priorum litterarum collatione, in quibus Vossius ab Hudsono facit divortium; mihi profutura, ubi, quae promisi, licebit exsolvere.

Deinde ad subsidium vocavi magno cum fructu excerpta, quae Vener. *Bernh. de Montfaucon* ex codice dedit Coisliniano et inserta leguntur *Catalog. Biblioth. Coislin.* pag. 485 — 488. Id modo dolendum, virum, cuius summa



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**FORGOTTEN BOOKS**

**FULL**

**MEMBERSHIP**

**797,885 Books!**

**All you can read**

**for only**

**\$8.99/month**

**Continue**

\*Fair usage policy applies



quod praefiscine nunc dixerim, prodituro. Suppeditarunt enim ea loca, quibus noster Atticista ad firmandos vocum usus atque significationes quandoque utitur, secundum optimas unuscuiusque scriptoris editiones curate olim indicanda; et praeterea digito quasi indice monstrarunt verum, mea opinione, genuinumque legendi modum. Quo autem ingenii instructus acumine susceperim negotium illud, sicuti difficile, ita quoque periculosum, ut pateat; iuvabit nonnulla loca hic tentare, initio ab ipso libelli titulo ducto, qui talis est:

**ΜΟΙΡΙΔΟΣ ΑΤΤΙΚΙΣΤΟΥ  
ΛΕΞΕΙΣ  
'ΑΤΤΙΚΩΝ ΚΑΙ 'ΕΛΛΗΝΩΝ.**

*Moenis Labbeo Bibliothec. nov. manuscr. pag. 105. et Maeris Steph. le Moine Var. Sacr. T. II. pag. 479. appellatur opusculi auctor. Utrumque typorum errore vitiose expressum. Neque tamen libri veteres de vera lectione consentiunt. Alii Μοίριδος, alii Εὐμοίριδος nomen praeferunt. Pòsterius fuit in apographo Pricaeano (vid. Colomesius Observ. Sacr. p. 120.) et Spanhemiano (ad Pluti v. 12.); quod vero Cel. Hudsonus Photii, Usserii, Salmasii, Du-Cangii, Menagii aliorumque fretus auctoritate reiecit. Addere potuisset Antonium Eparchum, cuius codex Galliarum regi oblatus dono diserte legit Μοίρις. Quae quum ita sint, neque ego quicquam hic mutandum arbitror. Criticae vero audaciae mihi si esset satis, qui contra tot virorum, doctrinae amplissimae fama celebrium, niterer auctoritatem: auctorem huius opusculi futuro Theatri Anonymorum Placciani editori relinquerem belle coniiciendum. Interim de rebus in obscuritate ac dubitatione positis quum omnibus liceat animi sui cogitata aliorum exponere iudicio: mihi vitio versurum confido neminem, si modeste ac verecunde dicam, quid mihi rebus omnibus expensis venerit in mentem. Incerta est Moeridis, qua floruit, aetas. Exinde, quod Phrynichus in hoc nostro glossario excitatur testis; et quod ipsum laudat Photius Biblioth. cod. CLVII. colligitur, intra illud spatium, quod a II. ad XII. post. C. N. saeculum effluxit, libellum fuisse confectum. Laxum, inquis cum Hudsono, spatium? Non diffiteor. Sic quoque nomen*

est in ambiguis, quippe neq̄ Graecis, nec Latiais cognitum auribus. *Herodotus Euterp.* cap. 101. et alibi antiquissimi Aegyptiorum regis, *Moeris* dicti, iniicit mentionem. Hinc esset coniecturae capiendae locus, auctorem opusculi, natione Aegyptium, forsitan Alexandriae aut natum, aut commoratum: id modo si possemus dare probatum evictumque, eo, quo *Moeridem* vixisse oportet, aevo, Aegyptiaca nomina adhuc fuisse in usu; quae abolita potius atque cum Graecis Romanisque commutata si asserimus, haec disputatio ad veritatem videtur propensior. Neque est, quod mihi obiiciatur *Moeris*, quem *Virgilius Eclog.* IX. canentem dicam, an flentem, inducit. Sive enim is Virgilii procurator fuerit, ut *Servius* observat, sive eiusdem parens, quod *Badius Ascensius* opinatur: fictum tamen est nomen atque a *moerore* deducendum; quod lacrumantem faciat poeta virum deperdita Menalcae rura. Hunc autem nodum expediemus, si opusculi inscriptionem ita concipimus: *Μοῖρα λέξων Ἀττικῶν καὶ Ἑλληνικῶν. Μοῖρα*, quod Tacticis *turram* seu *cohortem militum*, mille viris constantem, denotat (vid. *Du-Cangius in Glossar. Gr.* f. 943.) apud *Homerum* passim et *Callimachum in fragmentis a Rich. Bentleyo* collectis T. I. p. 323. edit. Ultraiect. pro cuiusvis rei legitur *parte*. Neuter vocis significatus ita comparatus est, quin apposite conveniat in naturam atque constitutionem huius libelli: qui neque omnes Atheniensibus proprias dictiones et loquendi formulas, neque earundem bene multas, sed partem tantummodo explanat interpretando; quod iis nequit esse obscurum, qui expensa libelli mole vel relatum legerunt apud *Xenophontem de Republ. Atheniens.* cap. 2. Atticos mista quadam ex omnibus, tum Graecis, tum barbaris, lingua copiosa usos; aut *Galenum τῶν παρὰ τοῖς Ἀττικοῖς συγγραφεῦσι ὀνομάτων βιβλους μὴ, dictionum Atticarum libros XLVIII*, ut ipse *de libris propriis* testatur, norunt composuisse. Id quoque silentio praetereundum minime est, admissa hac emendatione nos rationem posse promere, qui factum, ut librorum antiquorum quidam in frontispicio habeant *Εὐμοιρία*. Recentioris scilicet aevi hominem, qui locupletare satagit libellum adiectis novis versibus, ut studium operamque creparet, inscripsisse glossarium: *Εὐμοιρία κ. τ. λ.*

*portio bona; facile mihi persuadeo. Nam in illo Caesareae Bibliothecae MSS. quod praefert Εὐμοιρίς, sunt articuli nonnulli, quos in aliis frustra quaesiveris. Tandem huius nostrae coniecturae causam quodammodo tuetur, Salmasius quod habuit, exemplar, in quo titulus fuit: Μοίρις Ἀττικιστῆς περὶ λέξεων Ἀττικῶν καὶ Ἑλλήνων. Vid. Exercitat. Plinian. pag. 649. Quid enim librario oscitanti fuit facilius, quam Μοῖρα λέξεων refingere in Μοίρις λέξεων, inserta, ut omnia cohaereant, περὶ, particula? Et, ut commentum nova excludit mendacia, ita Ἀττικιστοῦ quoque assutum postea crediderim cognomen, ut auctorem linguae Atticae constaret fuisse studiosum. Verum enim vero, quibus haec coniectura implicata sit difficultatibus, quum pulchre intelligam: cave, B. L. alio eam quam problematis critici habeas loco; quod excutiendum propono, qui longo criticarum rerum usu edocti sunt atque exercitati.*

*Ἀεινάων, Ἀττικῶς. ἀεννάων, Ἑλληνικῶς. (Vid. p. 23.)*

*Ἄλυκον Ἀττικῶς, Ἀριστοφάνης Λυσιστράτη.*

*ἀλυκόν, κοινόν. (Vid. p. 29.)*

*Ἀντίγραφα, πληθυντικῶς, Ἀττικῶς.*

*ἀντίγραφον, ἐνικῶς, Ἑλληνικῶς. (Vid. p. 7.)*

*Ἄριβαλλον, ἐστὶ δὲ εἶδος ποτηρίου*

*στενόστομον. (Vid. p. 91.)*

*Ἄωρι, Ἀττικῶς. ἀώριον, Ἑλληνες. (Vid. p. 32.)*

Atque haec specimina ex primo decerpta στοιχείῳ sufficiat in praesenti dedisse.

In annotationibus concinnandis praeter MSS. discrepantias atque de earum valore iudicium id vel maxime mihi datum existimabo esse, ut Moeridis testimonium ad fidem optimorum auctorum, Attica qui usi sunt dialecto, revocem; ne in errorem deducantur lectores. Allucinatum nonnunquam hominem Graeculum, quisquis ille demum fuerit, dudum animadverti: et vereor pertentatis singulis lexi articulis, ne plura olim notanda sint peccata. Dabo deinde operam, ut vocum, et Atticarum et Hellenicarum, verus usus rarioresque notiones lectori pateant; quod iis ingratum haud fore mihi

polliceor, qui, ut indices magis magisque nobilissimi sermonis divitiae eruantur, habent in optatis. Indicatis etiam, quod supra iam promisi, auctorum locis, quae noster testatur, haud intacta relinquam antiquitatis momenta in hoc commemorata opusculo: quorum alia, et quidem notiora, ita explicabo, ut ad scriptores remittam, qui ex instituto de iis sunt commentati; alia vero, nec frequenter obvia, paullo pleniori exsequar stilo. Huic meae opellae suis locis praemittentur Hudsoni aliorumque labores. Latinam versionem, etiamsi ipsa libelli constitutio non respueret, nollem tamen adiungere, deterritus et rei difficultate, et tristi Nic. Blancardi exemplo, qui, quod Harpocratonem Latine de Graecis reddiderat, misere, at immerito, Jac. Gronovio vapulavit. Conf. *Joan. Alb. Fabricii Biblioth. Gr.* Vol. IV. p. 585. sq. Tempus versioni tribuendum libentiori animo insumam in dissertationem praeliminarem, in qua de huius glossarii instituto, fatis codicibusque dicetur. Agmen claudent vocum auctorumque indices necessarii: ut adeo in hac iterata editione nihil facile quisquam desideraverit, quod Hudsonianae est ornamento. Omnia aderunt excepta *Georg. Martini dissert. de veteri et vera Graecarum litterarum pronuntiatione*, quam molis tantum augendae gratia comitem Moeridi Hudsonum adiunxisse existimo.

His igitur stipatus praesidiis, hac mente atque ingenii, si qua in me est, felicitate otii partem quandam Moeridi hactenus tribui. Nec quicquam, optimum numen si vitam viresque concesserit, erit in mora, quominus hoc ipso, quem nuper admodum auspicati sumus, anno opus subiiciatur prelo; modo munificentiam eorum fuero expertus; quibus cordi est curaeque Graeca litteratura. Si qui igitur sunt, qui codicis a me nondum inspecti varias lectiones in scriniis servant, aut viri cuiusdam docti possident annotationes, aut denique ipsi auctorem hunc suis curis explicarunt: eos publice observanterque rogatos volo oratosque, ut communibus studiis foveant opus in communem usum edendum earumque rerum mihi, vel potius orbi litterato, copiam liberaliter faciant, quas ad eius ornatum utilitatemque amplificandum aptas iudicabunt. Quicquid ad B. Theod. Christoph. Felgineri viduam transmittetur, id ut ad me recte perve-

niat, curabitur. Haud immemorem me experientur beneficii, qui meritam iis gratiam debito honore, iustis encomiis atque animo longe gratissimo persolvam: sicuti et illis me profitebor obstrictum, qui consiliis suis meum iuvare non dedignabuntur. De mutandis, addendis detrahendisque amice monitus, ad sua ipsius vineta caedenda nemo me erit paratior, nemo alacrior: Scribeb. Hamburgi ad diem 4. Januarii **C1919CCXXXIII.**

---

---

**I N N O V A M**  
**MOERIDIS ATTICISTAE**  
**EDITIONEM,**  
**AB**  
*AMICISSIMO ET DOCTISSIMO*  
**I O A N N E P I E R S O N O**  
**C U R A T A M.**

**L**aetis auspiciis, venuste, prodi,  
Graecarum arbiter elegantiarum,  
Doctor Cecropiae probate linguae,  
Prodi, splendidiorque, comtiorque,  
Nec vestem macula inquinatus ulla.  
Tu, paucis hominum peritiorum,  
**M O E R I**, cognitus ante, literatum  
Nunc orbem poteris perambulare,  
Nunc quo vis pede libero vagari,  
Attici geniumque gratiasque  
Pandens eloquii, tuasque dotes.

Nos, o delictum meae iuventae,  
Quondam traxit amor tuus, tibi que  
Iam manu medicam, et mihi parabam  
Nomen, cum rapuit subortus ardor  
Transversum ex adytis novem Sororum,  
Ad severa magis, magisque casta,  
Ut tum visa mihi fuere, sacra.  
Non tulit Deus, ac redire jussit,  
Qui mortalibus orbis in theatro  
Partes distribuit, Choragus unus,  
Nutum ut ingenii sequente quovis  
Scena sic melius stet universi.

\*\*\*\*



Te vero interea latente, Thomas  
 Ad nos luce nova venit renatus:  
 Ruhnkenique opera Platoniarum  
 Interpres venerum fugit latebras,  
 Doctorum cupidis receptus ulnis.  
 Quin et Grammaticos super verendum  
 Tollit Hesychius caput vetustos,  
 Ac, spondens sibi iam perenne nomen,  
 Magnum crescere opus nitore multo  
 Cernit; quod pariter laboriosum,  
 Et doctum pariter, Dei faventes  
 Perduci faciant ad umbilicum!

Vidit, ac doluit meus sodalis  
 P I E R S O N U S, Charitum manu politus,  
 Pastusque a teneris lepore Graio;  
 Et tu, M O E R I, iaces, ait, tuumque  
 Ignorant homines decus, malignis  
 Damnatum tenebris, situque foedum?  
 Non sinam. Et maculas, librariorum  
 Quas stupor dederat, nec eruditus  
 Anglus sustulerat, repurgat omnes.

Ergo vive, tua, vigeque, sorte  
 Felix; Vindicis et serens per orbem  
 Laudes egregii, a nepote sero  
 Famam pro meritis fer invidendam.

ERNESTUS GULIELMUS HIGT.

---



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**SAVE \$3,999,994**

Did you know we sell  
paperback books too?

To buy our entire catalog  
in paperback would cost  
over \$4,000,000

Access it all now for  
\$8.99/month

\*Fair usage policy applies

**Continue**

villicum, numerandus est is, qui in Epigrammate Stratonis quodam Anthologiae nondum editae \*) commemoratur. Quam facile autem librarii pro *ΜΟΙΠΙΔΟΣ* scribere potuerint *ΜΟΙΠΙΔΟΙ*, in litteris praesertim minusculis, quis non videt? Atque haec habui, Vir clarissime, quae de nomine auctoris dicerem.

Quis vero ille fuerit, et ubi natus: quibus in terris vixerit, et quando, non apparet. Hoc certum satis est et manifestum, quum hunc libellum eius Photius legerit, eum vel ante tempora Patriarchae Constantinopolitani, vel ipsam etiam eiusdem aetate, vixisse. In eo autem errasse videtur Hudsonus, quod putaverit, eum post Phrynichum floruisse, idque collegerit inde, quod Phrynichus a Moeride laudaretur \*\*). Sed verba illa Phrynichi ab aliena manu, non ab Atticista, adiecta esse, suo loco docuimus. Cui errorem similem in Glossario Timaei Platonico \*\*\*) investigavit demonstravitque Ruhaqueni sagacitas. Tantum prodest et iuvat rectus Critices usus! Et tantum obest nocetque eius contentio!

Quod ad ipsum hoc Nostri opusculum attinet, vel index eius ostendit, collecta ibi contineri, secundam litterarum ordinem, vocabula, vel Atticis veteribus eorumque imitatoribus propria, vel communia tunc Graecis caeteris omnibus, ita tamen, ut auctor saepe certa quaedam utriusque generis scriptorum loca respexerit, non communem ubique dicendi consuetudinem spectasse videatur. Sicut enim *Ἑλλήτες* quando ab Atticis distinguuntur, Graeci sunt, praeter Atticos, omnes: ita verba *Ἑλλήνας*, quum discernuntur ab *Ἄττιοις*, vocabula sunt, quibus, alio saltem significato, quam Attici olim, Graeci tum uterentur omnes \*\*\*\*). An vero libellus hic, quem Valquernarius †) utilissimum vocat, integer ad nos et salvus pervenerit, de eo vereor, ne sis mecum vehementer

\*) Apud Valquernarium V. G. Animadvers. ad Anthonium II. 15. p. 218.

\*\*\*) In vocab. *Ἰουδαίος*.

\*\*\*\*) In *Οἶξ ἰσχυρά*.

\*\*\*\*) Vid. omnino Salmonius de Hellenist. p. 46. sqq.

†) Ad Euripidis Phoenias. v. 1422. p. 480.

dubitaturus, Vir clarissime. Eum brevem fuisse et parvum, non grandem et longum, satis quidem potest constare ex eo, quod a Photio appellatur *πομπύριον*. Sed nihil inde ablatum esse aliena manu, nihil adiectum a grege Grammaticorum recentiorum, cui in mentem veniat affirmare? Nam primo quidem in multis, qui restant, libris scriptis leguntur multa, quae non item in aliis: quidni in iis, qui vel temporis iniuria, vel negligentia hominum, periire, multa extiterint, quae in nostris hodie codicibus non inveniuntur? Deinde est verissimum, non pauca ex abiorum Glossographorum libris fuisse a Grammaticis posteriorum temporum male sedulis in hunc libellum, ut fit, translata. E Timaeo quidem Sophista multa illuc venisse, ex eo praesertim tempore magis coepit certiusque animadverti, quo Montefalconius \*) Ruhnkeniusque \*\*) Glossarium hominis Platonicum edidit. Nosmet vero monuimus, ipsi passim, multa nunc in libello Nostri legi, quae diligentiae Thomae Magistri debeantur. Qua in re dissentire licebit a Ioh. Alberto, Viro summo, et vel quod praeclara in Hesychium merita memoria immortalis dignissimo. Ei cum Menagio et Lamb. Bosio contra videbatur \*\*\*) Thomas alicubi exscripsisse Moerida. Verum quo minus assentiri Viro divino queamus, hoc impedit. In Thomae Eclogario fere omnia pleniora, adiectis etiam saepe locis scriptorum, habentur, ita ut vero videatur similis esse, Grammaticos recentiores auxisse Moerida e Thoma \*\*\*\*), sed ut profecta omnia ab ipso Moeride existimarentur, neque vestigia fraudis certa relinquerentur, omisisse alia, alia interdum accommodasse reliquis: praesertim quum isti homines libellum Nostri collocupletare instituerint glossis alienis pluribus, quod de Thomae Eclogario non ita certo constat, neque a quoquam adhuc est, quod sciam, observatum. Etenim non solum e Timaeo, uti demonstravimus, et Thoma, sed e Suida quoque, in *λέξεις* Nostri aliena multa derivavit inepta Grammaticorum

\*) Catal. Biblioth. Coislinianae p. 477 — 481.

\*\*) Lugd. Bat. A. C. Cl. CCLIV. octonis.

\*\*\*) Observ. N. F. p. 144.

\*\*\*\*) Iure hanc Fischeri sententiam reprobavit Piersonus in Praef. p. XVI. G. A. K.

sedulitas. Sed ne quis erret forte, nosve erroris accuset ipsos, id quomodo velim intellegi, dicam apertius. Quae apud Suidam hodie, et apud Moerida, leguntur, ea non tam e Suida transscripsisse censerent Grammatici, quam ex iis potius libris, e quibus mutuatus sit sua Suidas compilator. Certe Moeridis Codex ille, quem in bibliotheca Coisliniana esse supra significavimus, iudice Montefalconio, rerum harum intellegantissimo Viro, scriptus iam saeculo decimo est. Quomodo igitur e Suida auferri a Grammaticis libellus Atticistae Nostri potuerit? Sed ii libri quum vel interierint, vel nondum saltem editi sint, eorum loco, opinor, recte laudavimus *Lexicon Suidae*.

Et quia ad libros Moeridis scriptos ventum est: licebit pace Tua, Vir doctissime, et de reliquis, qui mihi quidem in notitiam venerint, breviter exponere. Praeter Coislinianum Codicem \*), qui membraneus est atque optimae notae, Vaticanus commemoratur a Maussaco in dissertatione Critica de Harpocrate \*\*) , et Vossianus, qui nunc in bibliotheca Leidensi est, ab Alberto V. C. \*\*\*). Eo, quem Antonius Eparchus, Corcyraeus, Francisco primo, Franciae regi, dono dedit, et quo, praeter Moerida, multi alii libri Graeci continentur, Regium vulgo appellant \*\*\*\*), in conficiendo Glossario Cangium usum esse, Vindobonensisque exemplar penes Ioh. Pricaeum fuisse, superius demonstravimus. Qui libri omnes ex uno eodemque fonte ducti fuerint, an e pluribus et diversis, dici, quum eos comparare inter se non licuerit, non potest. Sed si e particulis tamen quibusdam, quibus tanquam gemmis multi Viri docti sua scripta, veluti Salmasius, Pricaeus, Cangius, Spanhemius, Albertus, et alii, distinxerunt, iudicium faciendum sit de libris integris: non ex uno omnes, sed e pluribus eisdemque diversis exemplis, videntur esse descripti.

Nam de toto quidem Moeridis libello vulgando ante

---

\*) n. CCCXXXV.

\*\*) p. 393. edit. Blancardi.

\*\*\*) Observatt. N. F. p. 173. 257 et 357.

\*\*\*\*) Laudatur etiam a Salmasio Observatt. ad Ius Att. et Rom. p. 164.

magnam illum Kusterum \*) nemo videtur, qui cogitaret, repertus esse. Primus autem eum octonis edidit Oxonii anno huius saeculi duodecimo Ioh. Hudsonus \*\*): qui quam rationem in eo edendo et emendando sequutus sit, poterit ex eius Praefatione, quam adiiciendam curavimus, cognosci. Tribus fere annis post maximam illius partem e Codice Coisliniano inseruit Catalogo huius bibliothecae Montefalconis \*\*\*): atque ante annos non multos novam se opusculi editionem adornare professus est Ioh. Piersonus \*\*\*\*), Commentario Claudii Sallierii, Viri clarissimi, instructam. Quod Viri docti consilium diu, fateor, incertum me dubiumque reddiderat, quid facerem: absolveremne meas in Moerida Animadversiones, conscribere enim eas ante coeperam, quam de nova illa editione quidquam audivissem; an inchoatas relinquerem: in primis, quum me destitutum libris scriptis viderem, quibus se usurum ille ostendisset. Sed quia librarii nostri libelli exemplaria flagitabant, facileque intellegebam, nostrum consilium in eo edendo diversum fore, neque omnino nihil sine libris scriptis effici posse: constitui tandem, id quod non aegre laturum esse Virum doctum, quae eius humanitas est, sperare licet, Atticistam, cura mea qualicumque illustratum, iubere prodire: de quo consilio meo restat, ut pauca dicantur.

Placuit autem insistere vestigiis iis, quibus institisse Pavum Valquenariumque in recensendo Phrynicho atque Ammonio videram. Igitur hoc in primis negotii intellegebam mihi datum esse, ut vera ubique et genuina lectio, quoad fieri posset, indagaretur. Quam ob causam et inspexi contulique diligenter libros omnes, ubi particulas quasdam libelli prolatas vel legissem, vel audivissem: et coniecturas Virorum doctorum studiose, nec sine molestia magna, collegi,

---

\*) Fabricius Biblioth. Gr. IV. 35. 4. extr.

\*\*\*) Recensetur haec eius editio Actt. Eruditt. Supplem. To. VI. Sect. II. p. 49. ff. a Ioh. Christi. Bielio V. C.: cuius nomen adscriptum vidi in eo Actorum exemplari, quod est in museo Menqueniano.

Sed nil novi ibi neque observatur quidquam, neque monetur.

\*\*\*) p. 485 — 488.

\*\*\*\*) Verisimil. II. 3. p. 169.

measque passim adieci. Et quia cognoveram, multa loca corrigi posse e locis aliorum Grammaticorum similibus: neque haec praetermittenda duxi. In primis glossas Hesychianas saepius laudavi. Animadverteram enim, vocabula Attica ibi fere per *Ἑλληνικά* explicari, ut horum glossematum auctoritate lectiones Nostri multae vel confirmari magis, vel reïci certius repudiarique possent. Vocabula ipsa, eorumque significatus varios, auctoritatibus scriptorum multis illustrare et demonstrare visum non est; cum quod id alienum esse proprieque ad Lexicographos pertinere putarem, tum quod a Piersono praestitum iri sperarem, et quod editio, adornanda esset non magno parabilis. Atque secundum hoc consilium velim existiment de opera nostra et labore homines docti. Caeterum quum Hudsoni notas addere nostris placuisset: iussimus quoque eius exemplum operas sequi, non ignorantes, multas ibi coniecturas leves, immo falsas, in contextum receptas esse. Sed quia errorum ubique admonuimus lectores: nihil inde periculi timendum Moeridi videbatur.

# LECTURIS

S. P. D.

GEORG AENOTHEUS KOCH

---

**P**raeclara clarorum virorum in literas humaniores merita cum a posteris in magno poni discrimine memorique animo agnosci par sit, tum nescio an huic officio pulcherrime satisfiat, si, quae egregie ab illis inventa sunt, explicita atque disputata, ne diutius in oblivione iaceant, quasi in vitam revocari latiusque inde propagari curamus. Etenim, ut memet antiquitatis disciplinae finibus contineam, permulta eademque sat luculenta scripta, quae apud exteras gentes ab indefessis doctorum hominum studiis profecta praeteriti tempora saeculi in lucem protulerunt, tantummodo in paucorum notitiam hodie pervenire negari nequit; cuius rei causam in eo potissimum quaeras, quod rariora omnino sunt et nisi ex bibliothecarum scriniis vix arcessenda, aut, quod fere consequens est, maioris pretii, quam ut a multis coëmi possint. Quare vel is laudem aliquam mereri videtur et ad promovendum bonarum literarum studium aliquid contulisse censendus est, qui in praestantioribus huiusmodi libris, et quorum commodiorem usum aegre desideramus, typis iterum describendis operam collocet atque diligentiam. Nec profecto de segnitie quadam orbis literati in hoc, ut ita dicam, scripta conscribendi studio, quod per se neque laude destitutum est, neque fructu caret, conquerendi ullam nobis nunc quidem adesse causam quivis dies testatur. Imo vereor, ne tota res in peius abierit, id quod omnes probi mecum sentient. Namque cum hodie plerique non famae sed fami scribere videantur, lucri cupidine adducti in veterum libros cum interpretum priorum commentariis denuo a se edendos nulla ratione habita temporum



hominumque, quibus eos destinant, nullo adhibito delectu, desultorum instar certatim involant. Sic, ut in re molesta uno defungar exemplo, Horatius Lambini admodum nuper nova veste indutus prodiit, qui, quoniam multa recte et bene observata in eo invenias, iccirco non erat recoquendus. Nactus est Venusinus poëta post Lambinum tantum numerum explicatorum, ut, quae in illo nobis scitu digna sint, ab his sexcentis repetita videas. Quid quod in una Mitscherlichii editione, odas certe et epodos quod attinet, totum paene Lambinum habeas redivivum? Absit vero, ut hunc vel illum laedere in animo sit, sunt enim clara ceteroquin nomina: rationem ipsam vitupero, et valde optandum est, ut ille infastus bonis literis impetus paullum compescatur.

Praeter ceteros autem dignus mihi videbatur Moeridis Atticistae libellus, qui praelis iterum committeretur, non quod a tractatae materiae ubertate aut praestantia commendandus sit, nam per est exiguus et supra modum exilis, sed quod homines solidae doctrinae laude florentissimi ad eum eliminandum illustrandumque multum laboris impenderint. Quo magis autem innotuit huius libri, tot priorum interpretum virtutibus conspicui, utilitas, quoque maior indies accrevit exemplorum inopia et raritas, eo paucioribus verbis opus erit ad rationes aperiendas, quae ad hancce novam editionem me impulerint.

Moeridis nimirum hoc cum reliquis Atticistis commune est vitium, quod ex manca et subitaria veterum scriptorum lectione, haud raro etiam codicibus eorum deterioribus usus, praecepta sua composuit, quae inde sequitur ut nunc vana et aliquanto mera aegri capitis somnia habenda sint, nunc dubia et incerta, perpauca tantummodo ex omni parte vera. Bonum itaque factum, quod in eius opusculo emendando atque explicando felicissimo successu elaborarunt Hudsonus, Sallierius, Berglerus, et his longe superior Ioannes Piersonus\*).

Erat in Piersono innatans quaedam verborum facilitas et beatissima illa ingenii ubertas, qua unice factum est, ut tam

---

\*) De eo quam praeclare senserint Valckenarius et Ruhnkenius, horum scripta documento sunt. Legas illius Diatriben in Euripidis Reliquias, huius ad Timaeum Animadversiones.



**THIS PAGE IS LOCKED TO FREE MEMBERS**

Purchase full membership to immediately unlock this page

**FORGOTTEN BOOKS**

**FULL**

**MEMBERSHIP**

**797,885 Books!**

**All you can read**

**for only**

**\$8.99/month**

**Continue**

\*Fair usage policy applies



mirari subit; magnum errorum numerum ex istius observationibus in novissimam operis Stephaniani editionem transiisse; unde quisquis demum in Germania librarius Thesaurum illo recudendo thesaurum sibi ipsi anquirere gestiat, graviter monendus est, ne spissam, illam et incaeduum exemplorum silvam prius transponi patiatur, quam radicitus pars evulsa, pars collucata, alia rectius disposita sint.

••• Nostra aetate Moeridi multis modis profuere Bastius, Lobeckius, Schaeferus, viri sollertissimi et in paucis, qui veteres Grammaticos graviter tractaverint, facile optimi. His accessit, qui ante hos sex annos peculiari dissertatione laudabile in explanandis regulis, a Moeride propositis ponere coepit tirocinium, Ioannes Iacobus Tengstroemius\*), Bibliothecarius in Academia Aboensi Vicarius, cuius observationes, quoniam nonnullorum interesse scio et propter paucitatem maximam partem integras recipere non dubitavi. Denique non possum, quin negligentiae cuiusdam, ut lenissime loquar, mentionem iniiciam, quam eo aegrius tango, quo peius ipsa audit et quo magis is, qui ei obnoxius inveniatur, etiamsi cetera aestimatisimus sit, propterea vituperandus. Tale autem vituperium in Schlessnerum cadit, qui cum nuper\*\*) Observationes in Moeridem promulgaret, mehercule non cogitasse videtur, easdem se acceptas referre Ruhnkenio et Valkenari, quorum ipsissimis verbis uti haud veritus est. Haec semel indicasse sufficiat. Curae Novissimae in Photium quantopere alienis glorientur bonis, alio tempore ostendam.

Redeo ad candidissimum Bastium. Is igitur quum multis aliis nominibus, tum eo optime de Grammatico nostro meritus est, quod Codicem Sangermanensem sive Coislinianum denuo ad locos quosdam difficilioreſ adhibuit novamque inde attulit lucem. Idem, cum Parisiis degeret, factum a Tengstroemio, cui etiam Codicis Regii iterum conferendi copia data. Sed perpauca tantum in locis libros illos ab utro-

\*) Observationes in Moerin Atticistam. Publico examini offert Mag. Ioh. Iac. Tengstroem, Pars I. II: Aboae 1824. 4.

\*\*) in Miscellan. critt. a Friedem. et Seebodio editis Vol. I. P. 3. p. 535.

que inspectos esse valde dolendum: nam vel in his lectiones erutae egregie comprobant, Codicum Moeridis praesidia a nemine dum ea, qua debuerant, diligentia in auxilium esse vocata. Itaque pergratum mihi fuit, quum Collationem Codicis Vossiani accuratissime a Ioanne Christophoro Wolfio institutam in Bibliotheca incluti Senatus Reip. Hamburgensis asservari auribus meis accideret. Continuo per literas rogavi Virum Summe Reverendum, qui Illustris Ioannei fasces tenet, F. C. Kraftium, ut ipso intercedente illius Collationis usus mihi concederetur. Neco frustra. Kraftius pro eximia sua in bonas artes earumque studiosos, voluntate praeter alia multa nunc hoc me ornavit beneficio, ut discrepantem Apographi lectionem, quae exemplari editionis Hudsonianae adscripta erat, diligentissime enotatam humanissime ad me transmitteret. Codicem eundem esse mox perspexi, ex quo varias lectiones cum Piersono communicaverat Albertius. Vide illius Praefat. p. IX. extr. Hoc autem munere quum maiori cum laude functus esse mihi videretur Wolfius\*), vel minutissima infra posui, ne ea quidem reiiciens, quae obiter ab eo adpersa essent. In ipso editionis Hudsoni titulo haec adiecta leguntur: „Contuli cum Montfaucon. in Biblioth. Coisliniana et cum Apographo recentiore, quod extat inter MSS. Vossian. in Biblioth. Leidensi. Vossianum non integrum contuli, quia vidi, illud plerumque convenire cum hac (Hudsoni) editione.“ Contulit autem ad usque literam *M.*

Singulare vitiorum genus Moeridi illatum esse videtur propter scribendi quaedam compendia secus intellecta. Nimirum, quod singulis fere articulis additum est Ἀρτικῶς, in Codd. ubique exaratum invenimus α<sup>τ</sup>, α̃<sup>τ</sup> et α̂<sup>τ</sup>, quae quam et Ἀρτικοὶ et Ἀρτικῶς significare possint, loco cuique aptissimum ex serie orationis erit restituendum: quo de dixit aliquoties Bastius ad Gregorium Corinthum, p. 175. 184. 793. 800. et imprimis p. 184. Itaque Ἀρτικοὶ reponantur oportet pro Ἀρτικῶς p. 126. v. Ἐξόρῦπνα. p. 337. v. Τεῦχος. p. 373. v. Κρήματα, id

\*) Auctoris nomen frustra quidem a me quaesitum, sed Wolfi manum e literarum ductibus se agnovisse asseveravit mihi Clarissimus M. M. Runkelius, Hamburgensis.

quod verba λέγουσιν Ἕλληνες iure suo postulant. Et eadem fortassis medicina multis aliis in locis adhibenda, ubi sequente Ἕλληνες in priori membro expectamus Ἄτικοί, veluti p. 178. v. Ἴσχίον. p. 229. v. Λογίους. p. 239. v. Μάντεων. p. 240. v. Μειράκια. p. 258. v. Ὀλλύασιν. p. 265. v. Ὀχλον p. 316. v. Σίαλον. p. 328. v. Σχινδαλμός. p. 333. v. Τριχίδες. p. 335. vv. Ταῦτόν et Τάριχος. p. 338. v. Ταμίαν. p. 348. v. Φακίην. p. 351. v. Φθοίς. p. 357. v. Φιδάκη. p. 360. vv. Φθῶσιν. et Φερσάττα. p. 363. v. Φοιᾶ. p. 364. v. Φονέα. p. 365. vv. Χοάνην, Καλκοῦς et Χρυσουῦς. p. 366. vv. Χρηται, Χρέως et Χλωρόν τυρόν. p. 367. v. Χανθόν πιεῖν. p. 369. v. Χλεύη, et fortassis v. Χολήν. p. 370. v. Χλιδή. p. 371. v. Χαμεύνιον. p. 372. v. Χοανεῦσαι. 374. v. Χοᾶ. p. 376. v. Χαλκήν. p. 377. vv. Χάριν, Χρείη, Χαμαιτύπη. p. 380. v. Ψίαθος. p. 381. v. Ψάλια. p. 387. v. Ωραία. p. 387. v. Ως ἔοικεν. p. 388. v. Ως οἶόν τε. Contra in vocabulis Ἕλληνες et Ἑλληνικῶς per compendia scriptis lapsu erat difficilium.

Comites Moeridi adiunxit Piersonus fragmenta duo Herodiani Grammatici, quorum prius Philetaeri nomine inscriptum nihil nisi ex opere eiusdem maiore, cuius infra ad p. 170. mentionem feci, excerptum esse arbitratur L. G. Schneiderus Peric. Crit. in Anthol. Constant. Cephalae p. 65. Alterum plenius atque auctius e Codice Augustano vulgavit postmodo Hermannus in aureo opusculo, quod scripsit de emendanda ratione Gr. Grammaticae, inde a p. 301. hoc indice: Αἰλίου Ἡρωδιανοῦ περὶ ἡμαρτημένων λέξεων. Cf. eiusdem Praef. p. XV. Eam autem huius fragmenti partem, quae a Pavo iam publicata erat, repeti iussit Lobeckius in praestantissima Phrynichi editione p. 451. sqq. Atque nuperime diversas quasdam huius Fragmenti lectiones e Codice Parisino descriptas publici iuris fecit Ludovicus Bachmannus in Anecdott. Graec. Vol. II. p. 402. sqq. Ibi si quae sunt melioris notae, ea a Ruhnkenio pridem observata dedit Piersonus: paucula, quae omissa essent, pace Anecdotorum editoris doctissimi editioni nostrae praefixis asteriscis subieci.

Iam mihi quum quid ipse in repetita hac editione prae-

stare voluerim quidve potuerim, aperiendum sit, haud mediocriter sollicitus haerso: nam a me quae addita habes, quam minuti sint pretii, bene sentio. Id ante omnia mihi cavendum fuit, ne libri ambitus temere augetur. Atque, verba sunt immortalis Wolfii, nostro tempore is quoque gratiam mereri debet, qui aliqua secum servat, quae dare possit, non tantum, qui undecumque congesta cumulando bonis chartulis minime parcendum putat. Et profecto, largam illam rerum grammaticarum materiam uberius tractare, multa ex iis in disceptationem iterum vocare ac de quaestionibus quibusdam spinosis, quas ne nunc quidem ad liquidum esse perductas constat, fusius etiam exponere si animus tulisset, ne maior, quam opus videretur, libelli moles multos offenderet iure erat verendum. Etenim plurima, quae huc pertineant, recentiori aetate summa sagacitate summoque omnis doctrinae apparatus a doctis hominibus excussa sunt et enucleata: quorum libri quum omnium manibus terantur, nonne aperte acta egissem? Rarius itaque lectores in libros Godofredi amandavi Hermanni, quos nemo non lectitat, rarissime in opera grammatica Matthiae atque Buttmanni.

In ipso opusculi limine saepenumero veteres Grammaticos ex aliquot annis in lucem protractos, quorum larga post Piersoni tempora accrevit seges, consulendos duxi, quoniam ipsa eorum cum Moeride facta comparatio frugifera et quantum inter se dissenserint scitu dignum mihi videbatur. Exemplorum autem in re nota coacervandi consuetudinem ut maxime improbo, item, cum vocabulum occurreret notatu dignum aut explicatu difficilius, commentarios nominavi doctorum virorum, qui in hoc illud accuratius inquisiverint: ipse tamen ad taedium, mihi crede, minuendum latius aliquando exspatiatus. Alia multa verbo tantum indicata, nonnullis adeo in Indices, ubi aptus cuique reperiretur locus, reiectis, quoniam sic nobis licuit esse brevissimis. Hos autem Indices de integro confectos et longe prioribus locupletiores adieci.

Sed quum iam in eo essem, ut praefandi finem facerem, Fischerum commemorare paene neglexissem, cuius observata, e quibus aliquid utilitatis redundare videretur, huc ut transferrem, movit me voluntas virorum quorundam do-

otorum, quorum vel uni plus tribuere soleo, quam coniunctis istis, qui, quidquid scripti reliquit Fischerus, fastu nefasto contemnunt.

Scriptum Lipsiæ mense Februario CljIjcccxxxi.

